



## Acerca de este libro

Esta es una copia digital de un libro que, durante generaciones, se ha conservado en las estanterías de una biblioteca, hasta que Google ha decidido escanearlo como parte de un proyecto que pretende que sea posible descubrir en línea libros de todo el mundo.

Ha sobrevivido tantos años como para que los derechos de autor hayan expirado y el libro pase a ser de dominio público. El que un libro sea de dominio público significa que nunca ha estado protegido por derechos de autor, o bien que el período legal de estos derechos ya ha expirado. Es posible que una misma obra sea de dominio público en unos países y, sin embargo, no lo sea en otros. Los libros de dominio público son nuestras puertas hacia el pasado, suponen un patrimonio histórico, cultural y de conocimientos que, a menudo, resulta difícil de descubrir.

Todas las anotaciones, marcas y otras señales en los márgenes que estén presentes en el volumen original aparecerán también en este archivo como testimonio del largo viaje que el libro ha recorrido desde el editor hasta la biblioteca y, finalmente, hasta usted.

## Normas de uso


Google se enorgullece de poder colaborar con distintas bibliotecas para digitalizar los materiales de dominio público a fin de hacerlos accesibles a todo el mundo. Los libros de dominio público son patrimonio de todos, nosotros somos sus humildes guardianes. No obstante, se trata de un trabajo caro. Por este motivo, y para poder ofrecer este recurso, hemos tomado medidas para evitar que se produzca un abuso por parte de terceros con fines comerciales, y hemos incluido restricciones técnicas sobre las solicitudes automatizadas.

Asimismo, le pedimos que:

- + *Haga un uso exclusivamente no comercial de estos archivos* Hemos diseñado la Búsqueda de libros de Google para el uso de particulares; como tal, le pedimos que utilice estos archivos con fines personales, y no comerciales.
- + *No envíe solicitudes automatizadas* Por favor, no envíe solicitudes automatizadas de ningún tipo al sistema de Google. Si está llevando a cabo una investigación sobre traducción automática, reconocimiento óptico de caracteres u otros campos para los que resulte útil disfrutar de acceso a una gran cantidad de texto, por favor, envíenos un mensaje. Fomentamos el uso de materiales de dominio público con estos propósitos y seguro que podremos ayudarle.
- + *Conserve la atribución* La filigrana de Google que verá en todos los archivos es fundamental para informar a los usuarios sobre este proyecto y ayudarles a encontrar materiales adicionales en la Búsqueda de libros de Google. Por favor, no la elimine.
- + *Manténgase siempre dentro de la legalidad* Sea cual sea el uso que haga de estos materiales, recuerde que es responsable de asegurarse de que todo lo que hace es legal. No dé por sentado que, por el hecho de que una obra se considere de dominio público para los usuarios de los Estados Unidos, lo será también para los usuarios de otros países. La legislación sobre derechos de autor varía de un país a otro, y no podemos facilitar información sobre si está permitido un uso específico de algún libro. Por favor, no suponga que la aparición de un libro en nuestro programa significa que se puede utilizar de igual manera en todo el mundo. La responsabilidad ante la infracción de los derechos de autor puede ser muy grave.

## Acerca de la Búsqueda de libros de Google

El objetivo de Google consiste en organizar información procedente de todo el mundo y hacerla accesible y útil de forma universal. El programa de Búsqueda de libros de Google ayuda a los lectores a descubrir los libros de todo el mundo a la vez que ayuda a autores y editores a llegar a nuevas audiencias. Podrá realizar búsquedas en el texto completo de este libro en la web, en la página <http://books.google.com>













~~7-7-~~

~~99~~

~~76-3~~

2 vol



DER N° 15773

- 1 1

105 - 5 - 23

Revisado 1969







D 2

JURIS NATURÆ, ET GENTIUM  
PRINCIPIIS, ET OFFICIIS.

28. 1.



# JURIS NATURÆ , ET GENTIUM PRINCIPIA, ET OFFICIA

AD CHRISTIANÆ DOCTRINÆ REGULAM  
EXACTA , ET EXPLICATA

A JOANNE BAPTISTA LASCARIS

G U A R I N I

OPUS THEOLOGIS ÆQUE , AC JURIS CONSULTIS  
ACCOMMODATUM

T O M U S P R I M U S

E X P L I C A N S P R I N C I P I A

Rectè a Viris doctis inter desiderata relatum est Jus Naturæ , &  
Gentium traditum secundum Disciplinam Christianorum , idest  
ex Christi documentis τὸ ἀνώτατα sublimia , divina  
sapientum .

*Leibnitius in Præf. Cod. Jur. Gen.*



ROMÆ MDCCLXXVIII.

Ex Typographia Pauli Junchi, Provisoris Librorum  
Bibliothecæ Vaticanæ .

---

SUPERIORUM PERMISSU.





ILLMO AC RMO PRÆSULI ORNATISSIMOQUE VIRO

# D. JOSEPHO ALBANI

INTER REVERENDÆ CAMERÆ CLERICOS  
REI NUMMARIE SIGNANDÆ PRÆSIDI

FELICITATEM PERPETUAM,

JOANNES BAPTISTA LASCARIS QUARINI.



**L**URIS Naturæ Principia ad  
Christianæ veritatis regulam  
exacta, quibus Protestantium scripto-  
rum errores, & sæculi hujus Philoso-  
phorum contra divinam revelationem  
impia dogmata, ac denique Deistarum  
aliorum, solo naturali lumine Religio-  
nis negotia metientium, enormes senten-  
tiæ & deteguntur, & confutantur: Cogi-  
tanti mihi in lucem edere, ac de benevolo  
libri Patrono diu, multumque expen-  
denti: ( ecquis enim velit privati homi-

nis

nis partibus adversus grandia , & famo-  
sa nostri temporis nomina pugnantis pa-  
trocinari? ) Leo magnus animo occur-  
rit , ac voce simul & manu blandè ve-  
luti compellans , ac Romam signans :  
*hìc certè, repetere videbatur, hìc con-  
culcandæ Philosophiæ opiniones, hìc dis-  
solvendæ terrenæ sapientiæ vanitates, hìc  
impietas destruenda* : Ubi nimirum &  
scientiæ vigent , & scientiis honores me-  
riti destinantur , & ad honores virtuti  
sive domesticæ , sive extraneæ patet adit-  
us : ubi tot inter Purpuratos sapientif-  
simos Principes e Petri Cathedra ille do-  
cet PIUS VI. P. M. cujus & exactissimæ  
perfecti Juris Naturalis leges , & sanctif-  
sima nativis expressa coloribus , suavif-  
simis nempè , Christi Religio solidam ,  
minimèque fucatam Populorum pacem ,  
ac felicitatem gignunt , ac promovent .  
Huc ergo fidenti animo Liber iste advo-  
lat , ac plurimos inter causæ suæ fauto-  
res , clarissimum præ cæteris Patronum

exqui-



exquirit . Quot verò , quantos , quàm  
incredibiles animos sumit , ubi primùm  
tuo , *Præful optime* , se conspectui sistit !  
In te uno defigens oculos nihil veretur ,  
quominus infensissimos Ecclesiæ Roma-  
næ , Religionisque christianæ hostes , Ju-  
ris Naturalis Scriptores , seu citiùs cor-  
ruptores apertissimè in pugnam provo-  
cet . Profectò *Albanorum* , quo ipse ful-  
ges , nomen adeò horrent , ut qui vel  
maximè : obversatur enim illis firmis-  
simum adversus novitatum doctrinas Sa-  
cerdotale pectus sapientissimi Pontificis  
Propatruï tui *Clementis XI* . Nec minùs  
binis hisce percelluntur *Albanæ* familiæ  
luminibus , Ecclesiæ , sacrique Collegii  
ornamentis *Alessandro* , & *Joanne Fran-*  
*cisco* , quorum laudes & apud Italos , &  
apud Germanos , & ubivis concelebratas  
audiunt , & pluribus monumentis con-  
secratas vident æternitati . Verùm *Uni*  
*Tibi* intentus , sed parumper a *Te* sece-  
dens , ne animi tui modestiam offendat ,

Hetc-

Heterodoxos omnes audet provocare :  
Velint nimirum suos inter , quos im-  
meritò reformatæ Religionis titulo conde-  
corant , Juvenem exhibere , Ecclesiæ mi-  
nisteriis , posthabito deliciarum luxu uni-  
cè addictum : ingenio præstantem , opti-  
mis artibus , ac disciplinis a pueritia ex-  
cultum , ad omne Juris naturæ officium  
ritè , sanctèque comparatum , sive ho-  
minem scilicet spectes , sive civem , sive  
in Familia degentem , sive Reipublicæ  
munia exequentem : Unis dicto audien-  
tem , aliis imperio mitissimè præeuntem :  
cujus vel tum pueri in senensi Ptole-  
mæorum Collegio maxima fuit expecta-  
tio ; & inde adolescentis , ac juvenis in  
pulverem , & solem egressi sapientia ,  
virtus , senilis gravitas , prudentia in  
romanorum Patrum consilio eminens  
expectationem vincit ipsam . Quem san-  
nè cum suis in partibus frustra profani  
homines exquirant ; Teque his , aliis-  
que pluribus divinâ largitate locupleta-  
tum

tum dotibus demirentur , eos fateri coget: *Jus ipsum Naturæ Religionis veræ præsidio non fulciri solum , sed etiam confirmari ; Revelationem ad exequenda Juris ipsius Naturalis Officia maximè necessariam esse . Rationis proinde humanæ admodum depravatæ infirmas esse vires ; Catholicorum uno verbo Causam tenere , Heterodoxos verò Causâ cadere .* Hæc ubi præstiterit Liber , exultans Tibi gratias aget quàm maximas : Te enim vel tacente , victoriam de suis hostibus consequi se posse , cognoscit .

At mihi quidem , libro tuis manibus exhibito , *Præsul ornatissime* , tecum aliquid præfari liceat . Ut Clarissimo nomine tuo insignitum vellem opus hoc quaecunque meum , animos fecit Marchio eques hierosolymitanus Robertus Lascaris Germanus meus . Hujus enim mira quædam Tecum semper extitit mentis æquè , ac Voluntatis consensio ; unde gratissima , ac perpetua amicitia conjun-

Etio exorta est . Accedit , ipsum quoque olim adolescentem à Caroli VI. aula redeuntem amantissimè fuisse exceptum , & eximiis benevolentiaè significationibus distinctum a Camillo Cardinali Cybo , Generosissimæ Parentis tuæ Patruo , quem & Pietas , & Doctrina , & Morum suavitas reddunt immortalem . Hæc utique , atque alia complura , quæ ad singularem nominis tui splendorem mihi in Etruria degenti innotuerant , ( præterunda hîc tamen , quippe jubes ) tanti certè fuere ponderis , ut , ubi primùm animo meo exhibita est excellentiæ Tuæ imago , nihil ultra hærendum censerem , quin opus Tibi dicatum iri , votis omnibus expeterem . Hoc unum si benignè patiaris ( quid enim ultra quæram ? ) maximum operæ totius me excepisse pretium arbitrabor .

Dabam Senis Anno CIJDCCLXXVII.

T O-

T O M I P R I M I  
INDEX DISSERTATIONUM

*DISSERTATIO Præliminaris. Utilitas operis. Atque adeo  
Necessitas ex Protestantium libris veneno infectis. Vera,  
ac germana operis hujus Idea.*

*DISSERTATIO I. Quid sit Jus naturæ? Quinam a-  
ctus humani, morales, honesti?  
Quid de Advertentia, & Li-  
bertate sit definiendum? Hic de Leibnitzii Principio  
rationis sufficientis, & de optimismo agitur.*

*DISSERTATIO II. Quid sit Lex generatim sumpta? An  
detur in Deo Lex æterna? Unde promanet Lex qua-  
libet; & ex quo capite habeat vim obligandi; & quo  
pacto differat Lex divina ab humana?*

*DISSERTATIO III. An detur Lex naturalis? Quid sit?  
Protestantium, aliorumque sententiæ expenduntur. An  
Lex naturalis præsupponat aliquam necessariam hone-  
statem, vel turpitudinem in actu præcepto, aut probi-  
bito? Ubi rursus Protestantium errores confutantur.*

*DISSERTATIO IV. Honestas objectiva quid sit? SS. PP.  
loquutiones explicantur. Quid de hac honestate sense-  
rint damnata capita Hobbes, & Spiroza, aliique? Im-  
pugnantur. Quid Christianus Wolfius? Hujus systema  
exponitur, & confutatur. Quid Burlamaquiis hac su-  
per re?*

*DISSERTATIO V. Quid Lex naturalis præcipiat, quid-  
ve prohibeat? Ubi de virtutibus, de Legibus positivis,  
ac de Jure Gentium. An ad externos actus se exten-  
dat, nedum internos? Hic Puffendorffii errores. Va-  
ria inde utilissima consuetaria.*

*DISSERTATIO VI. Plura Legis naturalis attributa. An  
ea sit, quæ mutari non possit? An aliquando humana*



*Potestas possit Legem naturalem abrogare, minuere, aut dispensare? Quid de divina Potestate dicendum sit?*  
IV. *Ubi potissimum de Polygamia.*

**DISSERTATIO VII.** *Principium cognoscendi Jus naturale, ejusque proprietates. Quid de hoc Principio Grotius, & Puffendorfius; eorumque Affectus? Impugnatur Principium socialitatis ab hisce AA. explicatum. Quid revera sit Principium J. N. a nobis statutum? Ubi de vera Felicitate agitur. Quid ceteri AA. sive ante, sive post Grotium, sive Grotio aequales?*


**DISSERTATIO VIII.** *Quos pariat effectus Lex naturalis? Ubi de Permissione. An revera obliget in conscientia? Diversi conscientiae respectus exponuntur.*

## A P P R O B A T I O N E S .

**O**pus inscriptum *Juris Naturæ, & gentium principia, & Officia ad Christianæ doctrinæ regulam exacta, & explicata*; Jubente R<sup>m</sup>o P. Fr. Thoma Augustino Ricchinio S. A. P. Magistro attentè perlegi, & in eo nihil quod Orthodoxæ fidei, bonisque moribus adversetur, immò omnia summa claritate, eruditione, & sanà doctrinà ita firmiter constituta cognovi, ut perpensis egregii ejusdem Operis momentis, neminem futurum fore considerem, qui fateri non cogatur, Juris publici scientiam sacris litteris, sanctorumque Patrum auctoritatibus ritè innixam, Catholicis esse summoperè utilem, ac necessariam; namque si foret satis perspecta, iidem ad propria munera obeunda majora haberent incitamenta, majoremque virtutem ad contringendam ferocitatem nostri ævi spirituum a recto tramite aberrantium, dum Naturæ jura perfringere student, atque impiè adversus Religionem philosophantur. Clarissimi igitur Auctoris liber publicis prodeat typis, quibus, ut Fideles veritatis amatores lætentur, cum dignissimum judico.

Romæ hac die 14. Februarii 1778.

*Claudius Todefchi S. Congregationis Boni Regiminis Pœnens.*



## A P P R O B A T I O N E S .

**D**E jure Naturæ ac gentium post Ugonem Grotium plures A Catholicis scripserunt. Hi ut nonnulla bona animadverterint, in multis tamen, quod suis additi erant scelis, aberrarunt a recta semita, sædofque in errores inciderunt. Et, quod dolendum est, horum libri tere ab omnibus legi solent, qui scientiæ huic operam dant. Optandum idcirco erat, ut ex nostris Vir aliquis verè doctus, ac præsertim in Theologia versatus hoc ipsum tractaret argumentum; ac non ratione tantùm uteretur, sed & sacris literis, quibus tuto hac in materia procedi potest. Id autem præstitit & quidem egregiè clarissimus Abbas Joannes Baptista Lascaris Guarini in opere cui titulus est: *Juris Naturæ, & gentium principia, & Officia ad Christianæ doctrinæ regulam exacta, & explicata*. Tantumque abest ut præclaram hoc opus ex commissione R<sup>m</sup>i Patris Magistri Sacri Palatii T. A. Ricchinii, legens quidquam deprehenderim contrarium dogmatibus nostræ Religionis, regulisque morum, ut lætatus sim reperiri Scriptorem de jure naturæ ac gentium, qui sine erroris periculo legi ab omnibus possit. Quantum igitur in me est, censeo dignum esse opus hoc, quod bono Christianæ Reipublicæ quàm citissimè typis committatur. Ex meis ædibus die 11. Mensis Februarii 1778.

*Franciscus Mazzei in Romana Curia Advocatus.*

I M.

**I M P R I M A T U R .**


Si videbitur Reverendissimo Patri Sacri Palatii Apost. Magistro .

*Franciscus Ant. Marcucci ab Immac. Conc. Episc. Montis  
Alti Vicesgerens .*



**I M P R I M A T U R ,**

Fr. Th. Aug. Ricchinius Ord. Prædicatorum Sac. Pal. Apo-  
stolici Magister .



Fides sanè cum Natura non pugnat , sed consentit :  
nec dissident humana , & divina Ratio , sed cohærent . U-  
traque vera est , nec verum vero adversatur : utraque a  
Deo est , nec Deus sibi contrarius est : Pervertunt itaque  
homines fundamenta Naturæ ; cùm illam a Fide sejungunt .  
Quin Fide dirigenda Naturæ ratio est , & quidem sic , ut  
hæc duo verba inter se , non res discrepare videantur .

*Melchior Canus de Locis l. 12. c. 4.*

# LECTORI.

**J**US Naturæ, & Gentium Christianæ Religioni maximè consonum, ejusque Doctrinæ unicè aptatum hoc in opere tibi exhibetur. Profectò si animum sapienter advertas, & inter vesanos hujus ævi nostri Philosophos nolis accenseri, utrumque hoc certissimè cognosces: & Religionis Christianæ partium esse, etiam Rationem naturalem perficere; & nihil re ipsa ad eam perficiendam contulisse magis, quàm Sapientiæ divinæ dogmata, quæ ex Religione promanârunt. Enimverò nôrunt omnes, ac ( si verum fateri velint ) fateantur oportet, Neminem ante Verbi divini hominis facti præcepta, & consilia universam morum doctrinam explanavisse clariùs, ac docuisse, ut par erat; neque divino ipsius magisterio conferri ullo pacto posse celeberrimas Philosophorum omnium ethnicorum scholas, ac Lycea, in quibus sapientum effata expromebantur. Ex illo namque Religionis lumine factum est, ut multò quàm ante nobiliùs de divina Natura, ejusque cultu; & multò etiam solidiùs de variis hominum officiis, ac de Jure universo judicarent homines; ac decernerent. Porrò divinam hanc auctoritatem in tam gravi negotio sequi me non sine magno operæ pretio, sum arbitratus: Inde enim, quæ vera sint, quæque sub veri specie falsa lateant, detexisse faciliùs, & ad omnia Juris Naturæ, ac Gentium Principia, & Officia firmanda momentum accessisse gravissimum, comperi. Hanc utique longissimo ante tempore fuisse optimi Ecclesiæ Doctoris Augustini mentem, constat, ubi de recto ratiocinandi ordine in abditis rebus differens, jubet, auctoritatem præire, rationem ponè sequi debere: *Omnibus bona magna, & occulta discere cupientibus non aperit nisi Auctoritas januam: quam quisque ingressus sine ulla dubitatione vitæ optimæ præcepta sedatur. Per quæ cùm docilis factus fuerit, tum demum discet, & quantâ ratione prædita sint ea ipsa, quæ secutus est ante rationem: & quid sit*


*fit ipsa Ratio, quam post Auctoritatis incunabula firmus, & idoneus jam sequitur.*

Hoc primum habui, quod argumenti ipsius veluti dignitatem spectat, de quo te monitum volui; alterum quoque in operis vestibulo prænoscas, oportet, de scribendi nimirum genere, quo sim in hisce dissertationibus usus: non eo scilicet admodum barbaro, quod in scholis usurpatur, ne scholastica illa loquendi ratio, germanis J. N. Scrip- toribus ceteroqui familiaris, studioso Juveni fastidium pareret: neque verò alio nimis exquisito, apparatoque; ne Lectorem operis ipsius argumento, de se quidem gravissimo, difficilique intentum, implicata quædam latinæ orationis *σύνταξις*, aut perquisita nimium, expolitaque vocabula remorarentur: sed facili quidem, nitidoque sermone, quoad ejus fieri potuit, Lectoris animum detinere studui, ut ad opus citra molestiam perlegendum blandè veluti deductum allicerem.

Tandem de operis totius mole etiam sollicitus & obscuram, aridamque brevitatem, & fastidiosam valdè prolixitatem vitare, animum induxi; ut & in re tanti momenti nihil, quod præcipuarum sit partium, vel desideraretur, vel pro rei natura non satis explicaretur: & e contrario operosus plurium voluminum apparatus studentium facultatibus maximè obesset, & communem hominum indolem, ac patientiam evinceret.


Laborem itaque meum qualemcunque æqui bonique consulas, rogo, & animo ut par est ingenuo, quæ scripta sunt, Christiano homini dignè perlegas.





DE PRINCIPIIS  
JURIS NATURÆ, AC GENTIUM.  
DISSERTATIO PRÆLIMINARIS.

*Operis Utilitas . Atque adeo Necessitas ex Protestantium  
libris veneno infectis . Vera , ac germana Operis  
hujus Idea .*

1.  UÆ olim Ethices Professor Auditoribus  
meis prælegi, *Juris Naturæ, & Gentium  
Principia, & Officia* : quæque primùm  
Panormi publicæ disputationi a Comite  
Petro Petrasancta Auditore meo propo-  
sita, ac in lucem edita, deinde iterum,  
ac tertio typis vulgata sunt ; Eadem nunc meliorem in  
formam, ac longè ampliorem digesta volui Amicis recta  
sapientibus tradere, ut Adolescentium studiosorum com-  
modo, atque utilitati aliquâ ratione prodesse. Plura hic  
addita, & plura etiam fusiùs pertractata reperientur, quæ  
sanè omnia & tempori accommodata, & non nisi ex pu-  
rissimis fontibus catholicæ scilicet veritatis hausta Lectori-  
bus tutò propinanda exhibentur. Atque hæ profectò causæ

*Tom. I.*

A

me

me impulerunt dux., ut alieno conilio de vulgando hoc Opere acquiescerem, *Utilitas* videlicet, ac *Necessitas*.

De iis enim hic agitur, quæ non ad unius, aut ad alterius hominum cœtûs statum, & conditionem; neque ad unius Civitatis, aut Regni naturam; sed ad omnes omnino Homines cujuscumque sint ordinis, aut regionis; quin & ad Heterodoxos ipsos, aut Ethnicos spectant, ac pertinent. Juris enim publici partium esse constat, non modò Civilium legum, cujuscumque sint generis, atque Ecclesiasticorum Canonum, Moralisque scientiæ fundamenta firmissima jacere; sed privatis etiam hominibus vel seorsim, vel in familia degentibus jus, potestatemque definire. Unicuique demum homini, ut paucis dicam, quid sibi erga Deum, quid erga alios, quid erga seipsum faciendi opus sit, demonstratur, ac solidissimis rationibus, ex Jure Naturæ, & Gentium petitis comprobatur. Hic profectò disset quisque:

... *Patriæ quid debeat, & quid amicis,*  
*Quo sit Amore Parens, quo Frater amandus, & Hospes,*  
*Quod sit Conscripti, quod Judicis Officium, quæ*  
*Partes in bellum missi Ducis: &c. (1)*

Hujusmodi sanè emolumentum clarissimos, doctissimosque Viros, de re litteraria optimè meritos movit, ut exiguum illud, quod supra dixi, a me exaratum Juris Naturæ, ac Gentium compendium, me omnino incio, secundâ ac tertiâ editione vulgarent. Quod quidem animi sui propositum horum Alter in epistolis ad Eminentissimum Principem D. Carolum Cardinalem Rezzonicum, & ad Excellentissimum Comitem Josephum Truchses editioni romanæ libelli ipsius præmissis luculenter exposuit.

II. Hæc autem, quæ ad libri *Utilitatem* spectant, fatis

(1) Hor. de Arte Poet.

fatls quidem sint. Multo autem longiore indiget expositione *Necessitatis* pars altera, quam proposui.

Quæ verò major Viro Catholico exhiberi necessitas potest, illâ videlicet, quæ a Protestantium non aperto bello, sed occulto, ac proinde maximè periculoso contra nos oritur: per eos nempe libros hac super re apertissimis mendaciis, ac teterrimis in Romanam Ecclesiam (quam *regnum tenebrarum* audent appellare) & Sanctos Patres, Scholasticosque Scriptores (quos inter *στυβαλα* cum eorum Parente Luthero accensent) calumniis abunde repletos? Equidem non inficior, plura in prædictorum Auctorum libris contineri, quæ bona sunt, atque utilia; quibus planè Lectorum incautos animos alliciant; sed iis admixta plura assero, quibus venena subdolè propinentur. Hic fuit semper, est, eritque Hæreticorum mos, advertente Gregorio magno clarissimè, *ut dictis suis recta quædam permisceant, ut animos Audientium ex rectis sensibus trahant, ex perversis feriant* (1). Et alibi dixerat: *Habent quippe hoc Hæretici proprium, ut malis bona permisceant, quatenus facile sensui audientis illudant. Si enim semper prava dicerent: citius in sua pravitate cogniti, quod velent, minimè persuaderent. Rursum si semper recta sentirent, profectò Hæretici non fuissent. Sed dum fallendi arte ad utraque deserviunt, & ex malis bona inficiunt, & ex bonis mala, ut recipiantur, abscondunt. Sicuti qui veneni poculum porrigit, ora poculi dulcedine mellis tangit: dumquæ hoc, quod dulce est, primo attactu delibatur, etiam illud, quod est mortiferum, indubitanter absorbetur. Itaque hæretici permiscunt recta perversis, ut ostendendo bona, Auditores ad se trahant, & exhibendo mala, latenti eos peste corrumpant* (2).

Duo hic statim a Fautoribus objici mihi videntur, quibus Catholicos piè etiam, ac religiosè sentientes in prædictorum

A 2

libro-

(1) L. 18. Moral. c. 11.

(2) Lib. 5. Moral. in cap. 3. Job. in fin.

librorum lectione confirment. *Alterum* est, rem exponi ab illis, quæ ad Jus Naturæ, ac Gentium spectat, minimè verò ad Religionem. *Alterum*, errores facilè posse a Catholicorum quolibet dignosci, & exinde caveri.

Verùm, ut ad primum illud respondeam, utque hominibus in tam gravi negotio imprudentiâ laborantibus, atque imperitiâ satisfaciam, non aliâ uti auctoritate volo, quam Puffendorffii ipsius lutherani, celeberrimi Juris publici auctoris. Hic Grotii librum *de Jure belli* apud suos Lutheranos lectitari advertens, nonniâ Religionis causâ, ait, fuisse motum se ad opus suum exarandum *de Jure Naturæ, ac Gentium*. Verebatur enim, ne Grotii dogmata a Lutheranis difformia, quæ in Libro *de Jure belli* identidem e re nata Grotius exprompserat, in Lutheranorum animis hærerent: *Non exiguam* (sic ipse) (1) *nobilissimo operi* (Grotii) *labem aspergunt, queis passim a receptæ Orthodoxæ Ecclesiæ* (scilicet Lutheranæ) *sententiis diversus abit. Et per isthæc etiam verè, atque utiliter dictis auctoritas detrahitur.* Hæc de Grotio calvinista Puffendorffius lutheranus; ac de libro quidem non ad confirmandam Calvinii sectam, sed ad Jus belli ac pacis conscripto a Grotio, pronunciabat. Et Catholicus homo putabit, posse per tot hæreticorum libros, quamvis de Jure Naturæ, ac Gentium tractantes, impunè permeare? Nonne in libris hujusmodi captâ occasione, ac diligenti studio perniciosæ ipsorum sententiæ evomuntur, & Catholica Ecclesia in summum adducitur contemptum? Quid? quod & Protestantes omnes id exemplo suo luculenter ostendunt; extolli videlicet suorum Libros eximiis laudibus, ubi adversus Catholicos res agitur; deprimi verò, ubi vel in sententiis, vel in scribendi ratione secum non consentiunt? Fridericus Ludovici (2), ait: *Hugo Grotius Vir omnium encomiis major, doctrinam Juris Naturæ*  
*a ve.*

(1) In epist. ad lect. ante 1. sui op. edit.

(2) In Doctr. Jur. Nat. c. 1.

a veteribus moralistis ( catholicis nempe ) admodum conspurcatam restaurare, ac vero suo nitore restituere animum induxit. Laurentius Fleischerius (1): *Utilissimam Juris Naturæ, & Gentium disciplinam per multa sæcula latuisse, aut planè occultam, aut pulvere scholastico commaculatam: surrexisse tandem magnum Grotium disciplinæ hujus restauratorem, qui in aureo suo libro de Jure belli, & pacis ex tenebris illam produxerit.* Kemmerichius (2): *Surgente demum sæculo xvii. feliciora fata Jus Naturæ experiri, atque a squallore Scholasticorum repurgari cepit, Hugone Grotio potissimum auctore.* Christianus Thomasius (3): *In his omnibus Commentariis tam super sententias Lombardi, quàm super summam Thomæ frustra quæres doctrinas utiles, & a sana ratione profectas; sed omnia repleta sunt auctoritatibus, subtilitatibus, inanitatibus &c.* Et cap. sequenti: *Itaque initio sæculi xviii. Doctrina de virtutibus, & vitiis, sive de differentia justii, & injustii, boni, & mali, de Jure Naturæ &c. tam apud Pontificios, quàm apud Evangelicos miserrimo, & penè incurabili morbo laborabat. Scholastici Pontificii in libris, qui titulis de Justitia, & Jure, vel Finibus insigniebantur, talia dogmata insinuabant animis discipulorum, quæ solùm inferviebant incremento Papatûs, & Clericatûs, & supprimebant auctoritatem Principum, & Ordinum politicorum, & laicorum.* Tunc videlicet isto Auctore emergere visa est e sordidissimis Protestantium lacunis purissima Virtutum omnium, & Juris publici doctrina. *Liberanda veritas Marcionem expectabat* (4).

Supra cæteros verò eminentissimus ille Joannes Barbeyracius, (5), qui, ut Puffendorffii sui Opus laudibus cumulet, decori sibi vertit, impurissimum calamum in Sanctos Patres

(1) Instit. Juris Nat. & Gent. in Præf.

(2) In Puffendorffio enucleato c. 4.

(3) Hist. J. N. c. 4. (4) Tertull. De Præsc. c. 28.

(5) In Præf. ad versionem gallicam op. Puffend.



tres a primis Ecclesiæ sæculis ad lutherana usque tempora convertere, eosque Juris Naturæ ignaros traducere. Eo in numero Athenagoram accenset, Clementem Alexandrinum, Tertullianum etiam ante lapsum, Cyprianum, Lactantium, Athanasium, Cyrillum hierosolymitanum, Basilium, Gregorium Nazianzenum, Joannem Chrysoptomum, Ambrosium, Augustinum, Leonem, Gregorium Magnum, aliosque sacros Scriptores; contra quos ubi plurimas evomuit virulenti pectoris injurias, innumeris confertas mendaciis, ut evidentissimè ostendit Remigius Ceillier (1); tandem sibi plaudens ait: *sperare se, sæculum tandem venturum fore, in quo Patres, & eorum studiosi admiratores immodicam, qua fruuntur, existimationem sint amissuri.* Et subdit: *Legislatores Lutherum, & Calvinum non modò Religionem, sed Moralis doctrinæ Juris Naturæ scientiam redintegrasse.* Oh præclaros Juris Naturæ reformatores! Ecquis tantam in vesano Capite insaniam ferat? Christum de Ecclesia sua maximè providum non Patres illos incorruptis moribus, eximiisque virtutibus præditos; sed Lutherum, & Calvinum omni vitiorum genere inquinatos ad explicandam Juris Naturæ legem præelegisse?

Sed parum hoc refert: Christianus Thomasius, de quo paulò ante, Barbeyracium in hoc laudat, quòd Sanctos Ecclesiæ Doctores carpat, & (2) hæc profert: *Multi Protestantium Theologorum, in primis verò B. Lutherus noster, & alii de hoc abusu interpretationis ab Ecclesiæ Patribus commissi conquesti sunt, & adhuc conqueruntur.* Deinde §. 22. descendens ad Barbeyracium, hic, ait, *clarissimè monstravit, quòd Athanagoras, Clemens Alexandrinus, Tertullianus, Origenes, &c. non solum in doctrina morali parum, aut nihil sciverint; sed & in explicatione Scripturæ sacræ, aut aliâ occasione ita ferente, varia noxia, & erronea, ac non solum*

(1) Apolog. de la Morale des Peres An. 1718.

(2) In Hist. J. N. cap. 4.

*solum luci Evangelii, sed & Juri Naturæ adversantia dogmata in Animis Auditorum suorum disseminaverint.*

Ira sanè commendari senties ultro citroque impartitis laudibus Protestantes, ut exinde Catholicorum scripta deprimantur: non ita verò, sicubi in diversas abeunt sententias, & citra partium præjudicia opinantur. Profectò de Grotio, quem in purgando Jure publico principem locum contra Catholicos obtinere vidimus, en quomodo judicat Salmasius magni inter heterodoxos nominis: *In Philosophicis, si disputandi solertia spectetur, vix mediocribus par est: nec unquam vidi, qui minori cum vi ratiocinetur. Librum ejus de Jure belli, & pacis refutandum suscepit quidam Professor Almæ Juliæ, qui Amicis aliquot, quos vidi, affirmavit se ostensurum esse, nullam paginam vacare insignibus erratis (1).*

Puffendorfius & ipse judicio suo, & aliorum etiam opinione adeo miserum putavit Grotii Opus, ut. *longè utilius fuerit totam istam materiam denuo incudi subjicere, ac in novam formam refingere (2).* Aitque: *Grotium ne amplius Juventuti prælegere cogerer, librum meum præcipuè edidisse me, professus sum (3).*

Samuel de Cocceii (4): *Grotius, ait, singulas has species per alias subdivisiones adhibitis novis terminis adeo obscuras reddit, ut totum Jus naturæ incertum inde reddatur.* Et referens sententiam Henrici Parentis sui meritò, inquit, *Grotium notat, quod mirâ confusione tam varia Jurium genera fingit, ac cumulat, novisque, atque insolentibus vocabulis involvat, species generi suo opponat, & nova ea genera faciat, nec inter se ritè discernat (5).*

De Puffendorffio nunc etiam pauca. Non a privatis tantum

(1) Apud Desing. c. 15.

(2) In Præfat. sui Op. de J. N. & G.

(3) In Apologia §. 57.

(4) In Præf. ad Grotii edit. an. 1751.

(5) In Prodr. Juris Gent.

tum Scriptoribus, sed ab Universitatibus integris Puffendorffio bellum indictum fuit. Academia Jenensis a Joanne Georgio Electore Saxoniae instanter petiit, ut *Jus Naturale Puffendorffii edito publico reprobaret* An. 1673. Academia Lundenfis Scandiae Svecicae coacto Conventu pronunciavit, *Jus Naturale* a Puffendorffio explicatum *monstruosum*, *Auctorem* vero ipsum uti *Novatorem*, & *Academicae Juventutis Corruptorem* damnavit.

Nicolaus Beckmannus Professor Juris in Academia Lundenfi librum contra Puffendorffium conscripsit, cujus satis sit titulum proferre: *Beckmanni defensio contra Magistri Samuelis Puffendorffii execrabiles fictitias Calumnias, quibus illum contra omnem veritatem; & justitiam, ut carnatus Diabolus, & singularis mendaciorum Artifex, per fictitia sua entia moralia (diabolica puto) toti honesto, & erudito Orbi malitiosè, ac ignominiosè exponere voluit. Naturalis, sive brutalis, & gentilis Puffendorffii spiritus usque adeo enormiter se exerit, & perversa operatur, ut nec Diabolum, nec Infernum, nec Vitam æternam dari impie credat; & dum omnem actionem humanam statuat esse indifferentem, boni ac mali nec præmium, nec pœnam futuram &c. impress. an. 1677.* (1) Et in libro ait: *quem corruptarum novitatum pruritus præposterè instigat contra Juris naturæ, & divini solida fundamenta, is unicum omnium instar sibi commendatum habeat Puffendorffium.* (2). Contra Puffendorffium scripsere etiam Joseph Schuvarts, Feder. Gesenius, Veltenius, Zentgravius, Scherzerus, Alberti, & Scharinschmidius. (3) Celeberrimus etiam Leibnitzius (4) varias Puffendorffii sententias egregiè confutat.

Quid de Wolfio Juris etiam naturalis scriptore? Gundlin-

(1) Mascov. Ep. ad lect. in edit. Op. Puffend. de J. N. & G.

(2) Apud Desing. Jur. Nat. c. 10.

(3) Ludov. in Delineat. hist. Jur. Nat., & Thomaf. in paulo pleniorè historia Jur. Nat.

(4) In epist. ad Gerardum Molanum sub die 22. Aprilis An. 1706.

lingius principia juris Naturæ Wolfiana ( quæ loco suo fufius expendam ) falsè irridet, & funesta exhibet inde orta confectaria. Sic enim ait: *Fingamus, me esse solum absque arbitro. Mævius reposuit pecuniam: eam esse Mævii haud me fugit; discessit Mævius. Ego verò mecum: insanus sum, si hunc illi restituam, me id tulisse, is resciscere haudquaquam potest. Quid me hîc moveat, ne pecuniam retineam? Habeo præsens commodum, nihil est incommodi, virgis non cædar, cum lateam omnes. Ostendat mihi quisquam ex illa Philosophia Wolfiana argumentum aliquod, cur non retineam pecuniam? Dices fortasse: Rectè ab hoc retineri pecuniam. Ob præclaram Philosophiam!... Itaque efficitur: etiam pœnas arbitrarias locum habere; nobisque leges naturales non solum ob id esse servandas, quod utiles sunt, sed quod a Deo imperatæ; & nisi servaveris, Deus te extraordinariè puniet. Infrà Wolfianum systema hac super re, quantum a vero aberret, ostendam.*

De cæteris verò Protestantium Auctorum libris, ubi Jus Naturæ explicari, atque in optimo lumine collocari dicitur, accipite, quod tradit Heinnecius recentissimus Auctor (1): *Quicumque adhuc in pulcherrima illa disciplina versati sunt, illi doctrinas suas vel nulli certo, ac indubio principio superstruxerunt, veritates varias, aliasque utilissimas veluti uno fasce collegisse contenti; vel principia parum idonea admiserunt; vel ea denique tam longè ex subtilissimis, quas Metaphysica suppeditat, notionibus petierunt; ut datâ veluti operâ tenebris omnia involvere voluisse videantur. At ego &c.*

Tandem & de ipsomet Heinnecio conqueritur Hermannus Kemmerichius (2). Et de reliquis usque ad annum 1751. quo anno scribebat Borussiae magnus Cancellarius

Tom. I.

B

Samuel

(1) In Præfat. J. N. An. 1737.

(2) In elem. J. N. p. 1. l. 2. c. 10. §. 3.

Samuel liber Baro de Cocceji sic pronunciat (1): *Disciplinam Juris naturalis, etsi simplicissimis, nobisque innatis constat, principiis, adeo intricatam reddidere illi, qui de Jure dicto scripserunt* (quos Auctores recenset ipse in *dissert. XI.*) *ut ipsa existentia ejusmodi Juris pluribus suspecta visa fuerit.*

Quare nihil est, quod morer inferioris notæ Scriptores, qui aliorum principia adoptant, & cæcorum more alienis vestigiis insunt. Quid ergo Catholici dicent de prædictis Juris naturæ Auctoribus, qui aliam non merentur, neque verò aucupantur laudem, nisi quòd Catholicorum nomini, eorumque dogmatis acerbissimè adversentur?

Et sanè, quod postremo loco dixi, majus habet momentum, ut ad argumentum hoc pertractandum sedulò incumbamus. Ea enim a Protestantibus exhibentur veritati catholicæ quidem contraria, sed quæ catholicorum cuius sunt difficillimè advertenda; nisi fortè sacrarum facultatum præsidio, quò tandem colliment, dignoscantur. At quàm pauci sunt ex iis, qui prædictos Protestantium libros versant, in sacris litteris, divinâque theologiâ eruditi? Equidem in meo illo, de quo supra, J. N. & G. compendio memini de quadam italica Puffendorfiani Operis de J. N. & G. versione a catholico viro, mihi cognito, elaborata; ubi idem affirmat repurgatos a se heterodoxi hominis errores. Nihilominus cùm Panormi apud doctissimum Virum æquè ac nobilissimum versarer Agathinum Reggio, tunc regis siculæ Monarchiæ Judicem ex Episcopo Cephalœditano, atque ibi tomus secundus hujus italicæ versionis ob oculos occurreret, tria illico observavi Puffendorfiana menda, & correctione digna, quæ homo ille catholicus, utpote theologiarum disciplinarum ope destitutus, nec advertit, nec repurgavit, neque correxit. Illud primum (2):

*Ignor-*

(1) In *dissert. Proem. ad Grot. XII. l. 1. c. 3. §. 31.*

(2) *Tom. 2. lib. 3. c. 4. §. 3.*



*Ignorantia Juris naturalis neminem adultæ ætatis excusat. Quod quidem Puffendorfanum effatum falsum esse constat ex secundâ propositione ab Alex. VIII. damnata & ex iis, quæ infra loco suo dicemus. Illud pariter (1): non minus obligatus est ad restituendum vi extortum promissum, cui juramentum accessit, quàm si ab injurato fuisset extortum. Et infra: momentaneâ solutione juratum defungi posse, ut statim vel per se, vel in subsidium vocato Magistratu datum recuperare queat: est sanè inanis religiositas, cum perinde sit non solvere, & solutum confestim recuperare. Sed utraque hæc fuerant corrigenda a catholico Theologo, cui innotuerat, quid S. Thomas (2) ait: In juramento, quod quis coactus facit, duplex est obligatio: Una quidem, qua obligatur homini, cui aliquid promittit; & talis obligatio tollitur per coactionem; quia ille, qui vim intulit, hoc meretur, ut ei promissum non seruetur: Alia autem est obligatio, qua quis Deo obligatur, ut impleat, quod per nomen ejus promisit; & talis obligatio non tollitur in foro Conscientiæ: quia magis debet damnum temporale suslinere, quàm juramentum violare. Potest tamen repetere in judicio, quod solvit. Videatur rursus Cap. Si verò, & Cap. Verum de Jur. Jur.*

Illud autem, quod identidem repetunt in prædictis libris Protestantes, & quod maximè perniciosum reor, est: *Doctrinam Juris naturalis tradendam esse citra omne revelationis divinæ lumen. Quare putant cum Puffendorfo (3), posse integrum tradi Jus Naturæ, & Gentium, omnia hominis, & civis Officia posse rite explicari, nullo habito ad Fidem respectu. Sic enim habet l. c. Illud manifestum judicamus: etsi divinæ litteræ liquidius cognoscendo juri naturali plurimam lucem adferant; illud tamen etiam citra hoc ad*

B 2

mini-

- (1) Tom. 2. l. 4. c. 2.  
 (2) 2. 2. q. 89. ar. 7. ad 3.  
 (3) Lib. 2. c. 3. §. 13.

*miniculum per vires rationis homini abs Creatore concessæ, & adhuc superstitis posse investigari, & solidè demonstrari. Et §. 19. Alia est indoles, alius scopus Religionis Christianæ, ab hac disciplina Juris naturalis. Et alibi (1) Nobis Jus Naturæ, & Gentium hoc sine tractatur, ut sit regula actionum, & negotiorum inter omnes homines, non quæ Christiani, sed quæ homines sunt. Gundlingius (2), quid opus est, uti Scripturà, si quid ex ratione intelligere possum? ... Veritatem naturalem ex Scriptura disci non posse. ... Illos miserabiles homines esse, qui velint, Jus naturæ ex sacra Scriptura docere. Scripturæ longè alium finem esse. Quam quidem sententiam adscivit sibi nostrorum temporum Philosophus, seu Deista, Voltairius, ubi asseruit: Philosophos (idest Deistas) optimè nosse Rationis, & Fidei Objecta esse naturæ diversæ (3). In eadem sententia est Barbeyracius, in eadem Heinnecius (4): Quumque hoc Jus complectatur leges per rectam rationem promulgatas; consequitur, ut Jus naturæ derivandum non sit ex sacris Litteris. In eadem sunt plerique omnes Protestantæ, qui de Jure naturæ scripserunt. Hanc verò imprudentem, ac pessimam tradendi Juris naturalis methodum, ut mox ostendam, quàm sæpè ab incautis, & minùs doctis Catholicis audire licuit summis laudibus exceptam, atque approbatam!*

Profectò ratio naturalis sibi uni relicta facis instar tenuissimæ est, eaque ex originariæ culpæ tenebris, nostrarumque cupiditatum fumo quasi obscurata, satis est imbecillis, ut tam multa, tam gravia, tam implexa de Jure naturæ quæsitâ possit definire. Hoc utique in causa fuit; cur ethnici Philosophi de *hominis summo Bono* tam absonas, & inter se oppositas sententias protulerint, teste Augustino (5):

*Ipsè*

- (1) In Specim. controv. c. 4. §. 12.
- (2) In disc. de J. N. & G. c. 1. §. 3.
- (3) Ap. Nonn. to. 2.
- (4) L. 1. J. N. & G. §. 15. 16.
- (5) L. 18. c. 41. de Civit.

*Ipsi Philosophi . . . qui non videntur laborasse in studiis suis , nisi ut invenirent , quomodo vivendum esset accommodatè ad Beatitudinem capeſſendam , cur diſſenſerunt & a Magistris Discipuli , & inter ſe Condiſcipuli ? Quia ut homines humanis ſenſibus , & humanis ratiocinationibus iſta quaſierunt . Inde etiam factum eſt , ut de ipſius Dei natura d gnoſcenda tot inter opiniones quereretur Tullius (1) : ita fit , ut Deus , quem mente noſcimus , atque in Animi notione , tanquam in veſtigio volumus reponere , nuſquam prorsus appareat . Inde rursus plurima accepimus apud Historicos barbararum gentium exempla , Chriſti fide nondum illis prædicatâ , impuriſſimis moribus viventium ; quin aliquid ſummoperè naturalem rationem dedecens , aut minimè ſibi conveniens in hujusmodi vitæ genere advertant . Quare Fidei beneficio tribuendum eſt , ut & naturalis ratio , quæ verè ſibi conveniant , probè diſtinguat ; & Philoſophi etiam de morali Philoſophia optimè ratiocinentur . Advertit hoc etiam Auguſtinus (2) : *Errores Gentium ſive de Moribus , ſive de Natura rerum , ſive de Ratione inveſtigandæ veritatis durâſſe uſque in tempora Chriſtiana . Quos jam certè noſtrâ ætate obmutuiſſe conſpicimus .**

Hæc de veteribus Philoſophis , ac de incultis Nationibus Fide divinâ miſerè deſtitutis novimus ; atque in iis erroribus ſunt omni commiſeratione digniſſimi . Quis autem Chriſtianiſ indulgeat , qui poſt exortum Fidei clariſſimum lumen velint iterum inter cæcutientis rationis naturalis tenebras verſari ; & exorto ſole , ut Chryſoſtomi utar phraſi (3) , lucernæ lumine uti ? *Quid lucernæ aſſides , cùm ſol apparuerit ? Propterea tibi lucerna apparuit , ut ad ſolem deducereris .* Profectò quot enormes ſententias Heterodoxi iſti Chriſtiani quidem , ſed a Chriſti fide extorres , ſolo ratio-

nis

(1) De nat. Deor. l. 1.

(2) Epist. 118. ad Dioſc.

(3) Orat. 3. contra Judæos .

nis lumine, propriis cupiditatibus nimium quantum obnubilato, protulerunt? De iis in tractatu fuse disputabitur; hic autem speciminis loco sit illud Puffendorffii lumine suo naturali pronunciatum, videlicet, Animæ nostræ immortalitatem non innotescere ex sola ratione naturali; quin & in toto Jure naturali posse præcindi ab immortalitate Animæ nostræ. Hoc docet apertè (1): *In disciplina Juris naturalis hoc modo adornata immortalitas Animæ non negatur, sed dumtaxat ab eadem abstrahitur.* Et alibi (2): *Quamquam Animus Hominis ardenti cum affectu immortalitati velut immineat, sui que destructionem vehementer aversetur: atque inde apud plerosque Gentium inoleverit persuasio de Animæ a Corpore separata duratione, & quoddam tunc Bonis bene, Malis male sit futurum: ejusmodi tamen circa hæc persuasio, in qua animus hominis planè, & firmiter acquiescere possit, ex solo Dei verbo hauritur.*

Jamverò & falsum est omnino, non planè, & firmiter acquiescere animum hominis in persuasione certissima de sui immortalitate ex lumine ipso naturali, ut in Psychologia & alii, & nos demonstravimus: & absurdum est prius non ferendum, posse in disciplina recti juris naturalis abstrahi ab animæ nostræ immortalitate. Hoc sanè dissimulare non potuit Gottfridus Mascovius (3), ubi de hac Puffendorffii assertionem sic loquitur (4): *Displicuit porro nobis, quod dissimulare non possumus, Auctor, quando vitæ futuræ expectationem, & animæ immortalitatem, qua nullus locus in tota Philosophia magis est necessarius, in Jure naturæ seponit.* Futat enimverò Mascovius, Puffendorffium hoc adoptasse a perditissimo illo Atheo Hobbes, cujus lectione magnoperè delectabatur Puffendorffius: *Depravatum ergo*

(1) L. 2. de J. N. & G. c. 3. §. 19.

(2) In lib. de Off. Hom. & Civ. §. 8.

(3) Comm. ad Puffendorffiani Operis de J. N. & G. edit. an. 1744.

(4) In Præf.

ergo & hęc judicium Auctoris lectione Hobbessii, utpote qui animam &c. Sanè posset contra hos auctores repetere Prudentius, quod contra Symmachum olim scribebat (1).

*Nam si tota mihi cum corpore vita peribit,  
Nec poterit superesse meum post funera quidquam:  
Quis mihi Regnator Cæli? quis Conditor Orbis?  
Quis Deus? aut quæ jam meritò metuenda potestas?  
Ibo per impuros fervente libidine lucos,  
Incaestabo thoros, sacrum calcabo pudorem;  
Inficiabor, habens aliquod sinè teste Præpinqui  
Depositum, tenues avidus spoliabo Clientes;  
Longævam perimam magico cantamine Matrem:  
Tardat anus Dominum dilatà morte secundum.  
Nec formido malum. Falluntur publica Jura:  
Lex armata sedet, sed nescit crimen opertum,  
Aut, si res pateat, Judex corrumpitur auro.  
Rara Reos Justì percellit Pœna severi.  
Sed quid ego hæc meditor? &c.*

Leibnitzius verò in ipsum Puffendorffium invehitur ex tradita ab ipso doctrina. Sic enim habet (2) post relatà verba Puffendorffii (3): *Verùm enimvero licèt tam verùm esset, quàm falsum est, immortalitatis Animæ plenam demonstrationem a naturali ratione non suppeditari; sufficeret tamen prudenti, saltem magnum pondus habere argumenta, & spem Bonis melioris vitæ eximiam dare, justum verò Improbis metum futuræ gravissimæ pœnæ incutere. Ingentis enim mali etiam non magna verisimilitudo curam cavendi excitare debet. Neque aut consensus omnium penè Gentium; aut insitum desiderium immortalitatis sperni possunt. Sed firmum*

(1) Lib. 2.

(2) In Epist. cit. ad Molanum.

(3) In lib. de Off. hom. & Civ. §. 8.

num argumentum, & obvium omnibus (ut cetera nunc præteream subtiliora) præbet ipsa divini Numinis agnitio, quam rectè admittit Auctor, & inter ipsa juris naturæ fundamenta meritò collocat. . . Itaque negligere hinc futuræ vitæ curam, quæ cum Providentia divina inseparabiliter connexa est, & contentum esse inferiore quodam juris naturæ gradu, qui etiam apud Atheum valere possit (de quo aliàs dixi) est, scientiam pulcherrimâ sui parte multare, & multa hujus quoque vitæ officia tollere. Cur enim aliquis pro Caritatibus, pro Patria, pro Republica, pro Recto, & Justo discrimen fortunarum, dignitatum, vitæque ipsius subeat; si, everfis aliorum rebus, ipse consulere sibi, & in honore, atque opulentia vitam ducere possit? Nam uni nominis immortalitati, famæque posthumæ, idest rumoribus, unde nihil ad nos perveniat, vera, ac solida bona posthabere, quid aliud quàm splendida stultitia fuerit? Quin amplius nisi quis ita natus, institutusve sit, ut insignem in virtute voluptatem, in vitiis molestiam inveniat (quod non est cujusvis); nulla ratione a magno scelere deterretur, quo ingentia bona sibi parare possit. Sit spes fallendi, miscebit sacra profanis. At divinam vindictam in futuram usque vitam productam nemo fallit. Eaque firma ratio est, qua homines omnes juris obligationem in factum traduci debere intelligant, si sibi ipsis consulere velint. Hactenus Leibnitzius.

Hæc autem absurda, quæ congerit Leibnitzius, exinde originem trahunt, quòd Puffendorfius obfirmatè velit, disciplinam juris naturalis a solo naturalis rationis lumine hauriri debere, nec in subsidium vocari opus esse divinas Litteras. Puffendorfius ergo, qui Animæ immortalitatem non probè assertam autumat ex lumine naturali, proindeque in definiendis juris naturæ principiis, & officiis a prædicta animæ immortalitate præscindit; meritò per hæc satis absurda corollaria reprehenditur. Quid? Quòd si a Fidei cer-

tis-

tissimo lumine oculos avertimus , etiam in aliis Juris naturæ officiis cæcutire , necesse erit ? Exinde enim , ut cætera omittam , fluunt impia dogmata Deistarum , sive eorum , qui , etsi animam spiritualem , & immortalem esse opinentur , cujusmodi esse ostenditur libri illius recentior Auctor angulus Tyndal , cui titulus : *Christianismus cum ipso Mundo coævus* ; tamen rationem naturalem in omnibus sufficere affirmant , & inutilem esse revelationem . Sive etiam eorum , qui solâ ducti ratione naturali nihil in toto Universo præter Materiam dari contendunt : hujusmodi est execrabilis Spinosa .

III. Quid ergo ? Debentne Juris naturalis Principia , & Officia sacrarum Litterarum auctoritate probari ? Effet profectò hoc non Philosophum agere , sed Theologum ; nec Juris ipsius naturam investigare , sed actum Fidei exercere . Accedit , quod maximè inculcat Jo: Fr. Buddeus (1) : *Nec tamen ideo improbandum illorum institutum , qui seorsim juxta lumen rationis Jurisprudentiam divinam , seu naturalem tradunt . Quæ enim distincta sunt , rectè etiam distinctè traduntur , nec inter se sunt confundenda . Juvat etiam cognoscere , quousque ratio sibi relicta hîc progredi queat , ut ed rectius , quæ revelationis vis sit , & præstantia , inde intelligatur . In negotiis præterea humanis sæpè cum illis nobis res est , qui revelationem non agnoscunt , quique proinde non aliam agendorum normam , quàm rectam rationem admittunt . Denique per rationem , quoad humana præfertim negotia , multa specialius possunt investigari , ac determinari , cum generalia saltem sint , quæ de hisce revelatio tradit , ut reliqua , quibus idem evinci potest , taceam .* In qua sanè Buddei ratiocinatione plura congeruntur contra id , quod antea statueram .

Verùm & hîc mentem meam clariùs explicabo ; & simul tractationis hujus methodum proponam , unde , quæ

Tom. I.

C

contra

(1) Inst. Theol. mor. par. 1. §. 11.

contrà opponi possunt , facili negotio resolvantur .

Illud in primis firmum esse volo , lumen Rationis naturalis , & lumen ipsum Revelationis ab uno Deo promanare : neque Juris naturalis officia diversa urgere hominem , diversa urgere christianum . Unum , & idem est Jus naturale , quo omnes homines , cujuscunque sint conditionis , ordinis , religionis , ac statùs , modò homines sint , obligantur . *Fides* , aiebat Ambrosius , (1) *detexit plura Naturalia , & Moralia ; & apertè docuit etiam Rationalia* . Quare Jus naturæ ratione cognitum , & cognitum etiam fide , unum omnino est . Ratio enim , & Fides quoad hæc officia non modò non pugnant inter se , cùm ab uno divino Auctore , ut diximus , procedant ; sed mutuò adjuvantur . His pro certo habitis : en quæ mihi proposita est in re hac tam gravi , ac periculosa definienda methodus , cui sanctissimè inhærebo .

Quæ lumen naturale , seu recta Ratio , citra quodlibet præjudicium , sui esse juris repræsentat , erunt maturè , ac sedulò cum iis , quæ ex Fidei lumine accepimus , conferenda . Cùmque sciamus , utrumque lumen velut in idem tendere , seu objectorum veritatem , honestatemque manifestare , prudenter inferimus : *quæ infallibili revelationis testimonio comprobantur , ea vera esse , atque honesta ; falsa tamen , & mala , si fidei testimonio contraria* . Eodem prorsus modo res cum Hæreticis agetur , ubi aliquid ab ipsis proponatur tanquam lumine naturali cognitum , Quare Fidei dogma esse nobis debet instar lapidis lidii , vel citiùs instar doctissimi , ac sapientissimi Monitoris , quo certi sumus de admissio in aliqua naturali ratiocinatione errore : unde iterum , ac majori cum attentione lumen ipsum naturale investigetur , donec vi ipsius rationis naturalis veritas appareat , & error vincatur . Exemplo sit , quod fieri solet in Analyfi , ubi error aliquis irrepsit ita

ope-

(1) Præf. in Luc. n. 4.



operatione; statim manifestabitur in æquatione vel impossibili, vel certò falsa: unde repetenda erit, ac denuo resolvenda praxis, ut notant Analystæ, singulique numeri advertendi, consideranda signa, ut error ubi sit, detegatur. Sic agendo, non Theologum agam, sed Philosophum christianum, atque adeo rectè de rerum honestate ratiocinantem.

Buddei verò difficultas evanesceat. Siquidem etsi *distinctum* sit lumen Rationis a lumine Fidei, nec idcirco invicem illa duo *confundenda*: primum tamen utpote infirmum, & imbecille, ab altero firmissimo, & validissimo debet adjuvari; unde seorsim tradi minimè debeat. Deinde verum quidem est, *aliquid esse*, cognoscere, quò *Rationis lumen* ex originaria labe, aliisque humanis cupiditatibus obnubilatum *pertingat*: sed & in primis cognitionem hanc in ethnicis Philosophis detectam esse, & in presenti sine fructu esse, & ad negotia pertractanda periculosam, est certum. Si quando autem cum iis res erit agenda, qui *Revelationem non agnoscunt*: non erit ipsis necessariò objicienda Revelatio; sed, cognitâ a Philosopho christiano ex vi etiam Revelationis veritate, facile erit, veritatem ipsam rationibus naturalibus firmare; quibus ad suadendum ethnicis veritatem illam, sibi viam sternet. Tandem quòd Revelatio *generalia* ostendat, Ratio autem *specialia*; infert, utrumque lumen in consilium advocari debere, nec unum ab altero seorsim tradi.

Hoc ubi aget Scriptor de re naturali ad mores spectante, sive de Jure naturæ, ejusque principiis, atque officiis: optimus dicetur, eritque morum Philosophus. Hoc utique in tot suis de J. N. Scriptoribus maximè desiderari, pronuntiabat Leibnitzius, scilicet *Jus Naturæ, & Gentium secundum disciplinam Christianorum, idest Christi documentis sublimia, ac divina sapientum*; hoc equidem pro virili contendam, &, Deo dante, perficiam. Quemadmo-

dum autem Hæreticorum de hac re principia , & officia expendi maturè , ac diligenter ; eaque , ubi a recta christi-  
 næ doctrinæ regula defecerint , pro viribus impugnavi ; pa-  
 riformiter Catholicorum ad rem meam facientia princi-  
 pia , & sententias sequi , gloriosum mihi fore sum arbitra-  
 tus . Suarezium in pluribus auctorem habere non sum de-  
 dignatus ; utpote qui non a Catholicis tantùm , sed & ab  
 Hæreticis etiam maximè commendatur : ut videre licet apud  
 Buddeum (1) , & Jacobum Revium (2) , aliosque . Sancto-  
 rum Patrum testimonia , auctoritatemque , oblatrantibus  
 nequicquam supradictis Hæreticis , sum reveritus , & pro  
 loco , ac tempore exhibui . Cur enim dedecori mihi ver-  
 tam , Augustini , Hieronymi , Thomæ graves , ac divinas  
 sententias proponere ; cùm videam produci a Protestanti-  
 bus Puffendorffii , Grotii , Barbeyracii , aliorumque vel tur-  
 pes errores , vel clara sophismata ? Illud verò mihi cavend-  
 dum duxi , quod apud aliquos Juris naturalis Scriptores ,  
 adverti : nequid scilicet temerè , ac sine solida probatione  
 asseratur : illud enim *αυτος ε̄φα* mihi non tribuo ; sed ne-  
 que ex humanis Scriptoribus alius quicumque id sibi sumat .  
 Idcirco minimè probatur mihi , nec probari potest modus  
 ille tradendi Juris naturalis a Nonnullis , & , ut adverti ,  
 etiam a recentiore Auctore *De Felice* academicis veluti  
*lectionibus* exhibitus : ut nempe bona plura referantur , &  
 ad Jus naturale spectantia præcepta ; sed paucissima , quæ ,  
 probationibus statim adhibitis , firmentur . Asseruntur qui-  
 dem veluti *dogmaticè* : at , qua probatione asserantur , a  
 docto , & probo homine desideratur ; cùm præsertim non  
 ea proferantur , *quæ aperta , & sensu comprehenduntur ;*  
*sed obscura , quæ extra sensum sunt . Ratio autem non im-*  
*pletur manifestis , sed major ejus pars , pulchriorque in occultis*  
*est : occulta probationem exigunt ; est hoc sapientissimum*  
*Senecæ effatum (3) .* Sed hæc Prodromi loco dicta sint satis .

DIS-

(1) *Isag.hist.th.l.post.c.4. §. 10.* (2) *In not.ad Suar.met.* (3) *In Epist. 95;*

## DISSERTATIO I.

21

*Quid sit Jus Naturæ? Quinam actus humani, morales, honesti? Quid de Advertentia, & Libertate sit definiendum? Hic de Leibnitzii Principio rationis sufficientis: & de Optimismo agitur.*

**I.** **J**US quodlibet sive *divinum* illud sit, sive *humanum*, videlicet *positivum*, *Jure naturæ* posterius est. Quare Jus naturæ fundamenti loco cuicumque alteri *Juri positivo* esse potest. Sanè Jus divinum positivum, scilicet *quoad moralia*, in lege scripta veteris Testamenti præcepta naturalia complectebatur. In novo Testamento, confirmatis *Juris naturæ* præceptis, addita sunt illa, quæ ad *Sacramenta*, ad *Missæ Sacrificium*, atque alia spectant. Jus verò humanum canonicum, civile, & Jus gentium, etsi a *Jure* distinguantur naturali, tamen & hoc Jus præsupponunt, & firmum habent.

Contra Jus divinum *positivum*, & *universale* scribit heterodoxus Burlamaqui (1) citatque pro se infensissimum Catholicorum hostem Barbeyracium. Uterque scilicet causæ suæ, catholicæ veritati adversanti, patrocinator, malus scilicet malæ. Leges enim positivæ ex divina revelatione innotescunt, & omnes obligant, licet non sint imputabiles nisi post acceptam veritatis, & præcepti notitiam: distinguuntur autem quàm maximè a lege naturali; quòd hæc objectum satis diversum respiciat, ac illæ, ut videbimus. Neque solummodo, ut vult De Felice (2), apud Hebræos dantur exempla hujus legis positivæ divinæ, sed dantur etiam apud nos Christianos.

Jus naturæ varias sortitur significationes, quas explicemus, oportet, ad præcavendos errores. Siquidem in primis

(1) In lib. Princ. Jur. Nat. c. 5. §. 9.

(2) In lect. J. N. & G. lect. 5.

mis significare potest quamdam *hominis inclinationem ad physicam sui conservationem*. Hæc non in hominibus tantum, sed & in rebus etiam inanimatis modo suo observatur; unde dici consuevit: *exigentia naturalis*. Non est autem nostri instituti, Jus hoc expendere.

Neque pariter ad nos spectat illud Jus naturæ repositum in illa Naturæ *inclinatione* ad aliqua *merè sensibilia*; qualem nempe experiri observamus etiam Bruta, ut in fame, siti, frigore &c., diciturque proinde *Instinctus naturæ sensitivæ*, a quo ad remedia illis contraria diriguntur.

*Jus* itaque *naturæ*, quod unice ad nos pertinet, quodque inquirimus, est *Inclinatio ad Bonum secundum naturam rationalem*. Hoc proprium est hominum, quemadmodum propria ipsorum est natura *rationalis*.

Quare Jus hoc naturæ ampliore vocabulo dici etiam solet *Lex naturæ*. Quamvis enim *Lex naturæ* aliquid ultra Jus naturæ audiat in communi existimatione, adhuc in pluribus ita convenit, ut sint veluti synonyma in præsentia. Illud enim *Jus naturæ* a nobis expenditur, quod *vim legis* habeat.

Alio modo sumitur, & explicatur Jus naturæ a Wolfio (1), videlicet *Scientia Juris naturalis hominum, & obligationum eidem respondentium*. Verum & hic sub initium hærrere necesse est: quid enim est *Jus* illud *naturæ*, cujus exhibetur *Scientia*? Hoc erat explicandum, hoc Wolfius inexplicatum reliquit.

II. Jus naturæ, seu *Lex naturæ* non alios actus respicit, & dirigit nisi *humanos, & morales*. Profectò plures in homine, & ab homine fieri possunt actus; aliqui nec liberi sunt, nec voluntarii, ut chylosis, hæmatosis &c. qui dicuntur *actus hominis*, & dicuntur fieri *in nobis sine nobis*. Alii verò *voluntarii* sunt, & *liberi*, & dicuntur *actus humani*. Erunt planè *voluntarii*, si procedant a

*Volun-*

(1) To. 1. de J. N. & in Discursu prælim. de Philosoph. in gen.

*Voluntate ex prævia cognitione earum rerum, in quibus agitur.* Patet hoc ab opposito: Sic si non procedant a Voluntate, sed ab aliis animæ potentiis, non erunt voluntarii; rursus, si fiant sine rationis advertentia, seu sine cognitione debita, adeoque cum ignorantia antecedente, in vincibili, vel etiam concomitante, (quam tamen non positivè velit Voluntas), neque erunt voluntarii. Tandem si non fiant a Voluntate *ex prædicta cognitione, sed ex aliqua violentia*, seu coactione absoluta, quocunque modo excogitata, neque erunt voluntarii. Erunt deinde *Liberi*, si a Voluntate fiant habente plenam potestatem agendi, vel non agendi, agendi hoc, vel oppositum.

*Morales dicuntur actus liberi voluntatis cum advertentia rationis ad aliquam regulam primam directivam dictantem, quid conducens sit, quid secus. Quænam sit huiusmodi regula prima directiva actuum; expendetur infra contra heterodoxos.*

Jamverò actus prædicti morales, si fiant conformes ad prædictam regulam, erunt *honesti*; si verò difformes, erunt *inhonesti*. Conformitas autem, vel difformitas ad prædictam regulam potest esse vel in *objecto*, quod respicitur ab actu: ut est *amor Dei*, qui *intrinsecè* est conformis regulæ directivæ; ut rursus *abstinentia carniûm*, quæ est conformis ex lege *extrinseca*. Vel in *circumstantiis loci, temporis, personarum*, quæ ut mutari possunt, sic & mutari potest conformitas illa. Quemadmodum *non interesse sacro in die festo, ut morienti adsistatur*, est actus honestus, qui non esset, seclusâ eâ circumstantiâ. Vel *in fine*: Sic *qui jejuna*, (ajente Christo Domino) *ut videatur hominibus jejunans*, actum elicit inhonestum; secluso eo fine, erit honestus.

Inde sequitur, ut actus quicunque liber voluntatis elicitus sub advertentia rationis ad regulam dictam honestatis, erit homini *imputabilis*: si verò desit ratio advertens

tens

tens, non erit actus imputabilis neque ad præmium, neque ad poenam. Adnotavit hoc Tullius (1), *sentit domus uniuscujusque, sentit forum, sentit curia, campus, socii, provinciæ, ut, quemadmodum ratione rectè fiat, sic ratione peccetur*. Rursus si actus procedet sub quacunque alia advertentia, quæ ad regulam honestatis non dirigatur: non erit imputabilis; ut in Pueris, vel Amentibus, advertentibus ad utile, vel delectabile, non verò ad regulam honestatis. Sunt, qui accensent inter prædictos, quotquot subitâ irâ perculsi actu, ut dicunt, *primo primi* aliquem lædunt etiam graviter: volunt enim illos excusare ex hoc capite inadvertentiæ, & veluti rationis omnino præoccupatæ; quod sanè advertunt, in aliis affectibus non contingere, quemadmodum notavit Seneca (2), *Cætera vitia impellunt animos, ira præcipitat*. Et antea dixerat. *Cæteri affectus dilationem recipiunt, & curari tardiùs possunt: hujus (scilicet Iræ) incitata, & seipsa rapiens violentia non paulatim procedit, sed dum incipit, tota est. Nec aliorum more sollicitat animos, sed abducit; & impotentes sui, cupidosque vel communis mali, exagitat: nec in ea tantùm, in quæ destinavit, sed in occurrentia obiter furit*. Sanè Ira sedem rationis statim invadit, eamque obnubilat primo veluti aggressu; contrà ac cæteri affectus, qui partem animæ sensitivam primò movent, & nonnisi per hanc ad rationem seriùs obtenebrandam etiam post captivatam voluntatem procedunt. Verùm equidem difficillimum puto, & non nisi in aliquibus casibus, & peculiaris indolis Personis, ita obduci tenebris rationem, ut amentibus possit homo iratus adscribi. Quare ab omni culpa eos ita agentes non absolvo, generatim videlicet loquendo. Pari modo augetur, vel minuitur Imputabilitas in ratione majoris, vel tenuioris advertentiæ ad dictam regulam. De  
honest-

(1) De nat. deor. l. 3.

(2) L. 3. de Ira c. 1.

*honestate* ipsa erit infra sermo etiam contra Heterodoxos : De ipsa verò *Advertentia*, ac *Libertate* agendum est statim pro dignitate, & ritè definiendum.

III. De *Advertentia* rationis, seu Intellectus illud in primis est adnotandum, videlicet, ut caveatur *Ignorantia*, & *Inconsideratio*; deinde ut consideretur *Objectum advertentia ipsius*.

Profectò dari potest in Intellectu *Ignorantia antecedens* actum ipsum; quæ sanè concipi potest veluti causa actus modo suo: quatenus scilicet tollit scientiam, quæ si daretur, non fieret actus, quantum est ex præsentis Voluntatis dispositione. Idem dici debet de *Inconsideratione* præcedenti involuntaria respectu circumstantiæ alicujus, vel conditionis non consideratæ. In utroque casu prædictæ vel *Ignorantiæ*, vel *Inconsiderationis* actus positus non est voluntarius; unde nec imputabilis ad culpam respectu rei illius ignoratæ, vel conditionis inconsideratæ, utpote prorsus involuntariæ.

Potest rursus *Ignorantia* esse veluti *Concomitans*, ut dicitur; quando actus non fit *ex Ignorantia*, ut in primo casu, sed *cum Ignorantia*. Discrimen inter primum, & secundum dat Aristoteles (1) & Nyssenus (2) quia scilicet: *De prioribus tristamur, cum advenerit scientia; de posterioribus verò lætamur*. Hæc etiam *Ignorantia*, si est involuntaria, excusat, quemadmodum prima, a culpa: si verò est voluntaria, & privat scientiâ rei præceptæ, est omnino culpabilis.

Jamverò utraque hæc *Ignorantia* potest esse *affectedata*, ut dicunt, si est in homine illam volente: potest esse *crassa*, & *supina* in homine videlicet omittente diligentiam, quam cæteroqui putet quis sibi debitam in perquirendo; licet de cætero omittat vel directè quia nolit, vel ob ani-

Tom. I.

D

mi

(1) 3. Eth. c. 1. &

(2) L. 5. Phil. c. 2.

mi desidiam, & pigritiam, & quasi indirectè. Est rursus *vincibilis* in homine habente physicam potestatem excludendi ignorantiam illam; erit *invincibilis* in casu opposito, nempe in aliquo non habente physicam dictam potestatem. In prioribus est semper culpa imputabilis; secus in postremo hoc, ut patet.

*Objectum* hujus Ignorantiæ esse debet objectum ipsum advertentiæ, cui illa opponitur. Quoniam verò diximus, in actu morali objectum esse debere sub notione honesti, aut turpis; & hanc notionem esse debere recte rationi conformem, aut difformem vel *intrinsecè*, vel *extrinsecè* ex vi legis, aut circumstantiarum: idcirco Ignorantia prædictis modis explicata esse potest vel *Juris*, vel *Facti*. *Sub Jure* comprehenditur *Jus divinum* utrumque scilicet *naturale*, & *positivum*; aut *Jus humanum*, vel etiam omne Superioris præceptum. *Sub Facto* intelligitur vel *tota actio*, vel *ejus circumstantia*, vel *effectus*, qui ex illa postea sequitur. Potest autem dari Ignorantia etiam *invincibilis* non modò in Facto, sed etiam in Jure; quamvis in Jure *naturali*, utpote habente cum homine magis intrinsecam connexionem, difficiliùs erit Ignorantia *invincibilis*.

Explicatâ jam dilucidè Ignorantiâ, intelligitur optimè *Advertentia*, ex qua profluit actus Voluntarius. *Advertentia* itaque esse debet in Intellectu dirigente actum ad illum finem. Patet res exemplo: Si quis voluntariè, & ex directione artis fingat monstrum, actio erit artificiosa; si verò volens depingere hominem, casu depingat monstrum; actio non est artificiosa, sed deficiens ab arte; non enim dirigitur ad finem, qui intenditur: & tamen si consideretur physicè actio ipsa, eodem prorsus motu physico perficitur.

In hanc sententiam conveniunt non Auctores tantùm Catholici, sed etiam Heterodoxi. Sic Heinnecius (1) & Puf-

feu-

(1) In elem. J. N. & G. §. 20.



fendorfius (1); licet hic §. 10. velit, *Ignorantiam reddere actionem invitam*: quod quidem non est verum *in univ-  
ersum*; sed dicere debuisset, *minùs voluntariam*. Errat ve-  
rò, ubi asserit, *Ignorantiam excludere imputationem in sin-  
gularibus, & quæ in factò versantur; non verò in uni-  
versalibus, & quæ quis scire tenetur*; Errat, inquam, cum  
eadem sit ratio, cur imputari unum non debeat ob igno-  
rantiam facti, & imputari etiam non debeat ob ignoran-  
tiam Juris, saltem in foro interno: si utraque sit incul-  
pabilis, & involuntaria. Expendatur ratio propositionis  
damnatae ab Alex. VIII.

Atque hæc de advertentia rationis, ejusque objecto  
sufficiant. Multo erit difficilior explicatio *Libertatis*, præ-  
sertim ut ipsam ab Adversariis liceat vindicare.

Liberum arbitrium, seu *Libertas* est *Facultas intelli-  
gentis naturæ, quæ ex pluribus ad eligendum propositis,  
unum asciscere potest, rejecto altero; quod, si vellet, opta-  
re posset, illo, quod anteposuit, spreto, ac relicto*.

Ergo si unum tantummodo aliquod propositum sit,  
quo uno præcisè definita sit, ac determinata intelligentis  
naturæ vis: non liberè aget voluntas, sed *necessariò*.

Quare ad *libertatem* requiritur *electio* inter duo sal-  
tem, quæ contraria sint, vel contradictoria: & nulla erit  
electio sine deliberatione, & consultatione.

Idcirco *coactio*, ( quæ est *vis contra internum appe-  
tuum elicitem voluntatis, & idcirco concidit cum Involun-  
tario* ) opponitur *libertati*.

Pari ratione *necessitas* ( quæ denotat *determinationem  
ad unum sine indifferentia ad oppositum* ) est contraria *li-  
bertati*.

Ad rationem *coactionis* modo aliquo redigi debet *me-  
tus*, qui, licet non auferat simpliciter voluntarium, ta-  
men illud minuit, & inducit involuntarium ex parte; quod

D 2

patet

(1) De J. N. &amp; G. l. 1. c. 5.

patet ex illo actu: *nollem hoc facere*. Est autem clarum hujus involuntarii indicium *Tristitia*, quæ comitatur opus; & rursus quod opus ipsum non sit amabile voluntati.

Ad rationem *necessitatis* modo quodam reducitur *concupiscentia*, seu *affectus sensitivus*. Etenim si antecedit opus, minuit libertatem; quatenus trahens voluntatem ad assensum minuit ejus indifferentiam. Minuit proinde advertentiam rationis ad difficultatem; ac repræsentat objectum pulchrius, atque eligibilius, ac est. Minuendo libertatem, minuit *perfectionem* voluntarii; quamvis intensivè concupiscentia augeat voluntarium.

Expositam a nobis *libertatis* nostræ naturam apertè docent *Scripturæ*, & *Patres*, & *Lumen ipsum naturalis rationis*: quare ea pro certa, & extra omnem dubitationem est habenda.

Quoad sacras Scripturas loca illa clariora sunt, in quibus tribuitur optio, seu electio. Sic (1): *Testes invoco hodie Cælum, & Terram, quod proposuerim vobis vitam, & mortem; benedictionem, & maledictionem. Elige ergo &c.* Similia habentur alibi (2): *optio vobis datur, eligite hodie, quod placet*. Rursus (3): *apposuit tibi aquam & ignem, ad quod volueris, porrige manum*. Quæ sanè verba tractans Augustinus (4), ait: *Ecce apertissimè videmus expressum nostræ libertatis arbitrium*.

Ex Patribus illos recenseam, qui non obiter, sed ex professo rem hanc pertractant. Tres feligam, videlicet *Joannem Damascenum, Anselmum, ac Bernardum*.

Horum primus (5) *Libertatis* naturam sic exprimit, ut naturalibus appetitionibus cedere, aut resistere æquè possit,

(1) Deuter. 30. 19.

(2) Josue 24. 15.

(3) Eccl. 15. 17.

(4) L. de Gr. & lib. arb. c. 12.

(5) In Illogice Dogmatum.

fit, facere aliquid, aut non facere, atque hujus generis similia, & subdit: *Hæc in nostro arbitrio posita dicuntur, quoniam tam ipsa possimus, quàm ejus opposita.*

Alter (1) fusè probat, *libertati* adversari *necessitatem*, quam vocant *antecedentem*, qua scilicet voluntas uno aliquo definita sit: docetque, voluntatem ad oppositorum alterum eligendum indifferentem esse. Quare respondens questioni illi, *an voluntas, quando volendo peccat, necessitate peccet?* inquit: *respondendum est, quia, sicut non vult necessitate, ita non est peccatum voluntatis necessitate, nec necessitate operatur eadem voluntas.*

Tertius tandem luculentissimè omnium, & acutissimè *libertatis* naturam exponit (2). Afferit, datam voluntati liberæ *rationem*, ut *instruat* illam, non ut *destruat*; tum subdit: *Destrueret autem, si necessitatem ei ullam imponeret, quominus liberè pro arbitrio sese volveret, sive in malum, consentiens appetitui. . . sive ad bonum . . . Si horum quodlibet, prohibente ratione, voluntas non possèt, voluntas jam non esset. Ubi quippe necessitas, jam non est voluntas.*

Augustinus pari modo de libertate sentit (3). *Multa*, (ait) *nos facere, quæ, si nollemus, non utiquè faceremus. Quò primitùs pertinet & ipsum velle. Nam si volumus, est: si nolimus, non est. Non enim vellemus, si nollemus.* Rursus (4), ait: *voluntatem esse liberum ad faciendum, & ad non faciendum, animi motum.*

Quòd autem propositio illa de *libertatis natura* sit lumeni naturali conformis, est adeo certum, ut satis sit unicuique, animum advertere ad intimam sui ipsius conscientiam; ac statim certior fiet, dari plenam sibi inter duo opposita potestatem; ut contra hanc indifferentiam argu-  
men-

(1) In lib. de concord. lib. arb.

(2) Lib. de Gr. & lib. arb.

(3) Lib. de Civ. c. 10.

(4) Lib. de duabus anim. c. 12. & l. retract. c. 15.

menta quæcunque risu excipiat, et si rudis homo sit, & illitteratus; imò & quodlibet deponere paratus sit cum eo, qui velit argumentis ostendere, illum ad alterutram partem esse determinatum. Quin & doctus ille, qui ita arguet, sponsonem non accipiet de re quapiam ab alterius voluntate pendente.

Sanè potestas hæc determinandi se ad alteram inter duo opposita partem, eligendique pro libito, est legum omnium civilium, & decretorum, quæ pro firmanda quavis societate fiunt, fundamentum. Sinè ea immeritò essent retributiones præmiorum, & poenarum: irrationabiliter exhiberentur promissiones, & minæ. Si enim unicuique non est integrum, alteram ex oppositis partibus eligere pro suo libitu, frustra ea omnia fient; & nemo unus sibi posset vel lætari de bona rei cuiusdam electione, vel tristari de prava. Quod sanè experitur quisque intimo sensu, & docente naturâ.

Optimè Augustinus Manichæos urgebat (1): *Nec hi libri obscuri mihi scrutandi erant, unde discerem, neminem vituperatione, suppliciove dignum, qui aut id velit, quod Justitia velle non prohibet; aut id non faciat, quod facere non potest. Nonne ista cantant & in montibus Pastores, & in theatris Poetæ, & indocti in circulis, & docti in bibliothecis, & Magistri in scholis, & Antistites in Sacris locis, & in orbe terrarum genus humanum?*

Ut autem de *libertate* loquentem naturali lumine Philosophum aliquem habeatis, accipite Aristotilem, ubi (2) declarans, quænam *in nobis* sita esse dicantur, ea esse, ait: *in quibus non solum agere, sed etiam non agere possumus; ita ut tam non, quàm etiam, juris nostri sit, & arbitrii.*

Huic consonat Cicero (3). *Hæc sunt fundamenta firmis-*

(1) Lib. de duabus anim. c. 11.

(2) 3. Ethic. c. 7.

(3) Orat. pro Corn. Balbo.

*missima nostræ libertatis , sui quemque juris & retinendi , & dimittendi esse dominum .*

Optimum ex lumine naturali argumentum pro asserenda nostræ libertatis plenissima potestate profert S. Thomas (1), ubi de humana electione disputat , & quærit : *Utrum homo liberam electionem habeat , aut ex necessitate eligat ?* Concludit , quòd opinio asserens : „ Voluntatem hominis „ minis ex necessitate moveri ad aliquid eligendum „ *sit adnumeranda inter extraneas Philosophiæ opiniones : quia subvertit omnia principia Philosophiæ moralis . Si enim non sit liberum aliquid in nobis , sed ex necessitate movemur ad volendum , tollitur deliberatio , exhortatio , præceptum , & puniatio , & laus , & vituperium , circa quæ moralis Philosophia consistit .*

Quare firmissimum esse debet undequaque : *liberum arbitrium , seu libertatem esse facultatem intelligentis naturæ , quæ ex pluribus ad eligendum propositis , unum asciscere possit , rejecto altero ; quod quidem , si vellet , optare possit , illo , quod anteposuit , spreto , ac relicto .*

Exinde clarissima fiet Voltairii absurda ratiocinatio , ubi ad negandam in homine libertatem sumit , debere prius innotescere homini , *quid sit ejus anima* , ut deinde judicare posset , eam esse *liberam* . Ac si necessarium sit homini ut videat , nosse prius aut naturam oculi , & nervorum opticorum dispositionem , aut optices ipsius leges . Percipimus objecta , & hoc fati est ad asserendum nos videre . Pari modo concipimus intimo sensu , nos pro libito eligere , pro nostro libito determinare , quodcunque nobis optandum exhibetur : hoc sufficit , ut certi simus de nostrâ libertate , quin de animi nostri natura , & modo agendi aliquid perquiramus .

Hic autem expendere fas est , quid de *libertate* senserint Protestantium aliqui . Heinnecius loco supra citato (2) alio

(1) Quæst. VI. de malo .

(2) Elem. J. N. & G. §. 53.

alio modo explicat naturam *libertatis*, videlicet: *Facultas ex duobus possibilibus alterutrum, prout e re videatur, eligendi.*

Dico equidem, heinnecianam explicationem *libertatis* vitiosam esse, quamvis primâ fronte clara, & vera esse videatur. Etenim, ut præteream, iudicari in prædicta explicatione magis *objecta externa* eligibilia, quam *actus voluntatis immediatos*, circa quos versatur propriè immediata *libertas*: adhuc verba illa *prout e re videatur* maximè displicent. Siquidem vel significant potestatem dominativam voluntatis in suos actus, & sunt redundantia; quasi diceret, *e duobus possibilibus alterutrum pro libertate eligendi.* Vel, quod potius reor, significant, voluntatem determinari ad eligendum id, quod apparet sub *majoris boni ratione*; & sunt insidiosa, & in leibnitianam sententiam recidunt, de qua inferius. Quòd autem in hoc sensu loquatur Heinnecius, ex iis, quæ ibi subdit, colligitur: *Sic, quantacunque in Fure sit contrectandæ rei alienæ cupiditas, ei tamen ille non succumberet, si sibi tanti criminis effecta, veluti squallorem carceris, ergastulum, flagra, equuleum, ipsam denique furcam poneret ob oculos. Nec minùs qui voluptatibus, atque otio magnoperè delectantur, ad honestiora studia, ac diligentiam sese illico inflammari sentirent, si, adhibitâ in consilium ratione, paullo expenderent accuratius, quanta sit doctrinæ, ac sapientiæ præstantia, quanta utilitas, quàm incredibilis suavitas, & quàm irreparabile contrà damnum cum inertia, atque ignorantia conjunctum sit.* Hæc verò, ubi de Leibnitii ratione sufficiente sermo erit, non esse vera, ostendentur.

Puffendorfius autem (·) benè explicat *libertatis* naturam, nec a nobis dissentit. *Animæ voluntatem*, (ait) *Deus indidit tanquam internam actionum moderatricem, ut objectis propositis, & cognitis ex principio intrinseco citra necessitatem*

(1) De Jure naturæ, & Gentium l. 1. c. 4. a §. 1. seq.

tem aliquam physicam ad illud se moveret, & eligere posset, quod sibi tanquam maximè congruum arrideret, & contrà se ab illis averteret, quæ sibi non convenire viderentur. Et clariùs §. 2. Libertatem vocant facultatem voluntatis, quæ, positis omnibus ad agendum requisitis, ex pluribus objectis propositis unum, vel aliqua potest eligere, reliqua rejicere; aut uno dumtaxat proposito, id admittere, vel non admittere, agere, vel non agere. Ibiq; libertatem contrarietatis, & contradictionis optimè distinguit, & explicat.

Quomodo autem ad objecti delectabilis representationem licet voluntas moveri se sentiat, atque allici; nihilominus libera permaneat, & ad eligendum indifferens: exponit Puffendorfius l. c., mutuatis videlicet omnibus his ex Catholicorum libris, qui longè ante ipsum hæc eadem fusè tradiderant. *Et si* (ait §. 2.) *ut alicui res quæpiam adpetenda, vel fugienda videatur, id a voluntate non dependeat, sed ab objecti conditione, prout id boni, vel mali faciem representat; tamen ista appetitio, & aversio, quæ objecti veluti faciem sequitur, non est adeo efficax, quin voluntati adhuc supersit libertas ad actum externum circa id objectum sese determinandi: præsertim cum unius mali facies tantisper velut appetibilis reddi possit, ad latus posito alio malo.*

Ibidem repetit: *Est penes hominem, objecto considerando acriter incumbere, & accuratâ meditatione rationes bonitatis, & malitiæ exactiùs trutinare, adeoque non in nuda dumtaxat superficie hæerere; sed in ipsa rei veluti viscera penetrare.*

Et clariùs §. 3. *Ceterùm primaria voluntatis affectio; & quæ immediatè ex ipsius natura emanare videtur, est, quodà intrinsecè ad certum fixum, atque indeclinabilem agendi modum non sit adstricta (quod tantisper Indifferentiam*

vocabimus ) , & quòd isthac intrinseca ipsius indifferentia per extraneum aliquod medium penitus extirpari nequeat . Idque eo firmitus est tenendum , quòd , istá sublatá , actionum humanarum moralitas funditus tollatur . Hic verò corrigendus est a Theologo Puffendorfius , qui divinæ immemor potestatis ait : *Indifferentiam illam per extraneum medium extirpari non posse* . Sana enim Theologia docet , posse Deum libertatem indifferentiæ auferre vel concedendo unionem hypostaticam , vel infundendo visionem beatificam , vel subtrahendo concursum ad alteram partem ex duabus oppositis . Sub Gratia item ( si daretur ) Calviniana , aut Janseniana , aliisque mediis auferri potest Indifferentia .

Quantùm adeo infederit in Puffendorfi animo hæc voluntatis indifferentia , patet ex iis , quæ subdit paullo post : *Atque hoc revera facere censendi sunt* ( scilicet tollere indifferentiam , & simul moralitatem auctum ) *qui nescio quam Prædeterminationem physicam in actibus humanis fingunt , ex qua ipse quidem motus in se , ut consideratur tanquam ens physicum a causa prima ita sit determinatus , ut non possit non eo , quo determinatus est , modo fieri , cui deinde a causa secunda moralitas accedat . Neque minus illi , qui ex Præscientia divina absolutam actionibus humanis accedere necessitatem volunt .* In qua quidem sententia posteriore explicanda requirit , vel ut vocabulum Præscientiæ depuretur , ne lædat indifferentiam ; vel secus ut cause principales evadant instrumentales . At verò vocabulum *Præscientiæ* non est , cur sit depurandum : est enim & a Scriptura , & a Patribus usurpatum communissimè , ita tamen , ut nihil officiat voluntatis indifferentiæ , quod explicant Theologi dicendo : „ esse in posteriori objectivo „ respectu determinationis voluntatis ; non enim idcirco voluntas agit , quia Deus præscivit ; sed viceversa , ideo Deus „ ab æterno præscivit , quia voluntas ad aliquid agendum se „ olim



„ olim liberè determinabit „. Hoc utique ignorantes ethnici, Tullio teste, ne libertati humanæ officerent, divinam Præscientiam sustulerunt, quare, ut homines facerent liberos, fecerunt sacrilegos.

Quoniam verò ab objecto voluntas vel allicitur, vel retrahitur, pro diversa ipsius natura, unde tolli posse videtur *Indifferentia* prædicta: Puffendorfius ipse §. 4. idcirco objecti ipsius vim, & efficaciam expendit, aitque in primis: *Hunc esse voluntatis naturam, ut bonum in genere semper adpetat, malum in genere semper aversetur.* Atque in hac voluntatis inclinatione, veluti generica, nulla poni indifferentia potest. Attamen circa particularia bona, subdit, dari „ Indifferentiam „. *Idque hanc ob causam, quòd tantùm non omnia bona, & mala homini haudquidquam appareant velut pura, & simplicia; sed invicem mixta mala bonis, bona malis.* Unde detur homini, expendere momenta pro libito *bonorum, & malorum, verorum, aut adparentium; quæ, postquam animum hinc inde traxerunt, tandem ad alterutram se partem voluntas intrinsecò determinat.* Optimè quidem, & cum Catholicis conformia. Hæc autem, & quæ subdit §. 5. egregiè ad leibnitianam de ratione sufficiente sententiam confutandam (de qua infra) quadrant: *Non semper contingit, (ait) ut velut in equilibrio positus animus, citra ullum accedens momentum sese ad agendum, vel non agendum applicet.* Tam proponit, quæ hominis voluntatem in alterutram partem flectere videntur, videlicet „ Ingenii dispositio, cœli, solique genius, hu- „ morum temperatura, conformatio organorum „, aliaque; additque: *circa quæ omnia id tenendum, nulli harum tantam esse vim, ut voluntas nullo modo possit in diversam partem pertendere.* Atque hic videtur impros illos humanæ libertatis everfores impugnare, qui in prædictis dispositionibus vim inesse volunt determinandi voluntatem hu-

manam. Hujusmodi sunt Hobbes (1) Collins (2) & Spinoza (3).

*De habitibus* verò, quibus animus trahi se sentit, quique in naturam ferè videntur abire, sic ut egerrimè iis resistatur, ait §. 6. *Non ideo tamen inde profecta actiones inter spontaneas censeri desinunt.* Dixisset meliùs *inter liberas.* De affectibus adnotat §. 7. *affectus utcumque vehementes voluntatis vim haudquidquam extinguere; quin illos quoque, qui imbecilliores animas habent, posse acquirere imperium absolutissimum in omnes suas passiones, si sat industriæ adhiberetur ad eos instituendos, & dirigendos.*

IV. Sed contra libertatem hanc *Indifferentiæ* acriter pugnat Leibnitzius ex capite rationis *sufficientis* in sua *Theodicea* (4), quam Leibnitzii opinionem adoptavit, acriterque defendit Christianus Wolfius in *Ontologia*, in *Psychologia Empirica*, & alibi. De hac autem ratione sufficiente juvat fusiùs ratiocinari.

Contendit Leibnitzius, dari semper debere aliquam, „ *rationem*, cur res ita sit potiùs, quàm aliter, „. Neque solum in agentibus, atque effectibus *necessariis*, quemadmodum omnes fatentur; sed etiam in agentibus *liberis*, ut in homine; quin & in ipso Deo, ubi, ajebat, „ voluntas, „ divina rationem aliquam sufficientem habere debet, cur, „ hoc potiùs velit, quàm illud; secus diceretur, Deus operari irrationabiliter, quod Sapientiæ diviniæ repugnat, „.

Est proinde ejus de hac ratione sufficiente certissimum axioma: *Positâ ratione sufficiente adæquatâ, poni debet necess-*

(1) In opusc. de libert. & neces.

(2) Recherches sur la liberté. Recueil de diverses pieces Leibnitz, Nevvton &c. tom. I.

(3) In sua ethica.

(4) Tom. I. citati libri Recueil de diverses pieces &c. & ex commercio epistolarum inter Leibnitzium, & Clarkium apud Trevolt. mens. Julio 1746.

*cessariò res*. Et : *Cognitâ ratione sufficiente adæquatâ, affirmari potest res*. Unde infert Wolfius (1) : *Rationem sufficientem determinativum esse rei*. Et §. 117. ait : *Leibnitzius rationem sufficientem vocat rationem determinantem*. Et planè ita esse debet, videlicet *determinativum* rei, si positâ ratione sufficiente, res necessariò poni debet. Quare non est, cur de voce illa *sufficiente* controvertatur, cum constet, quid sub illo vocabulo contineatur.

Tota igitur controversia in eo versatur, ( loquendo de agente *libero* ) in quonam scilicet hæc ratio sufficiens sita sit? Eâ enim positâ, res *necessariò* poni debet. Sanè Leibnitzius, Wolfius, ac cæteri, qui in leibnitiana sunt sententiâ, audacter asserunt, *rationem sufficientem in cognitione præcedente ad ipsam voluntatis electionem* consistere. Ex illa enim cognitione objectum representatur voluntati sub idea boni, vel majòris boni, : Quâ datâ cognitione, „ ( ajunt ) voluntas ceteroqui indifferens ad objectum illud „ eligendum, vel secus; determinatur ad illius electionem, „ nem, „. Ponit Leibnitzius in epistola ad Clarkium, pro explicanda re, exemplum *libræ* : „ In hac siquidem si æ „ qualia constituentur pondera, neutrum libræ brachium „ movetur, cum nulla sit ratio, cur debeat alterum potius moveri, Contrâ verò movebitur, ubi majus in altero apponatur pondus. Nec secus voluntas id eligere „ debet, quod eligibilis est, & apparet, „.

Ut autem hac in re, ea, quæ sunt certa, ab incertis discernamus; illud in primis certum est: Ante voluntatis electionem præcedere debere cognitionem objecti sub idea boni, vel mali. *Nihil enim volitum*, ait Philosophus, *quin præcognitum*. Item voluntatem ad bonum tendere, & a malo retrahi. *Nemo*, ait Philosophus, *intendens in malum operatur*. Decipi quidem potest voluntas in electione mali, si sub idea boni representetur; non verò si, ut malum est, agnoscat.

Rur-

(1) Ontol. §. 116.

Rurfus illud etiam est certum „ nullum bonum crea-  
 „ tum in particulari posse repræsentari voluntati, ut *absolu-*  
 „ *tè* necessarium ; licet bonum in genere sit voluntati ne-  
 „ cessarium *absolutè* „ . Bonum enim in particulari *absolu-*  
 „ *tè* necessarium voluntati unum est tantummodo : vide-  
 licet *Deus clarè visus in Patria*, ac proinde *necessariò* a-  
 mandus . In creatis autem nullum est bonum hujusmodi .  
 Dico, *absolutè* necessarium : Quia dari potest aliquod bo-  
 num necessarium ex *suppositione* alicujus determinatæ inten-  
 tionis procedentis ab ipsa voluntate . Veluti si duæ essent  
 viæ ad locum aliquem adeundum , altera brevior , altera  
 longior : & voluntas ob aliquem finem se determinaret ad  
 longiorem ; tunc via longior esset necessaria ad illum lo-  
 cum , sed ratione præcedentis liberæ determinationis volun-  
 tatis .

Illud pariter habeatur pro certo : „ objectum quodli-  
 „ bet creatum repræsentari voluntati communiter sub idea  
 „ boni habentis admixtam malitiam , vel incommodum ali-  
 „ quod , vel defectum : rarissimè sub idea puri boni ; &  
 „ in hoc casu puri boni ( *si detur unquam* ) , non tamen  
 „ erit sub idea boni sibi *absolutè* necessarii „ .

Huc igitur tota spectat controversia : „ An cognitio  
 „ objecti, quæ necessariò præluere debet voluntati, sive  
 „ sit objecti alicujus melioris in comparatione alterius , si-  
 „ ve sit objecti unius dumtaxat boni, ita voluntatem alli-  
 „ ciat , ut sit determinativum ipsius ad illud eligendum  
 „ necessariò ? „ Verùm quoad hoc sic habeo :

*Nullum objectum creatum, sive illud sit respectu alte-  
 rius unicè bonum, sive sit altero melius, aut repræsentetur ; est voluntati liberæ determinativum ad illius electionem necessariò faciendam .*

Ratio autem ad hoc suadendum clarissima est : quia in  
 neutro casu objectum repræsentatur , aut proponitur volun-  
 tati, ut *de se absolutè* necessarium . Quare potest volun-

tas *absolutè* neutrum amare; & consequenter eligere alterutrum indifferenter, vel electionem suspendere, expendendo interim rei utriusque proprietates, naturam, circumstantias; aliaque objecti ipsius adjuncta; ut libera permaneat in electione alterutrius objecti.

Quare, ut voluntas non eligat objectum ceteroqui bonum, aut altero melius, non alio indiget iudicio, seu cognitione; præter illam, qua iudicet, objectum illud non esse sibi pro eo tempore *absolutè necessarium*.

Et rursus, ut voluntas in sua libertate permaneat, nulla præcedere debet ratio leibnitiana sufficiens, seu ratio determinans, quæ sit *distincta* ab ipsa voluntate.

Cognitio ergo, quæ præcedit, circa bonitatem objecti, est ratio alliciens, vel non alliciens voluntatem, uno verbo, dirigens voluntatem, (utpote quæ est potentia rationabilis) non verò illam determinans. Iudicium verò de objecti-bonitate est semper determinatum: non enim est liberum.

Idcirco exemplum *libræ*, quo utitur Leibnitzius, non est voluntati liberæ aptandum. In voluntate enim non præsupponitur vis inertix positiva, quæ in corporibus datur ad conservandum statum, nisi ab alia maiore vi activa deturbentur; unde æquilibrium, seu quies datur sub æqualitate ponderum. Voluntas verò *activa facultas* est, & *plena* eligendi quodlibet ex objectis cognitis *potestas* pro sua libertate. Dicitur idcirco voluntas *indifferens* non ex indigentia, aut ex defectu virtutis, sed ex plenitudine potestatis.

Hic fortè quis obijciat, quòd juxta aliquos voluntas, quamvis libera sit, & permaneat, possit tamen ab *ultimo iudicio practico*, (quo scilicet iudicetur tandem, objectum illud esse eligendum) *necessariò* determinari. Et idcirco dici posset, iudicium hoc ultimum practicum idem esse, ac est ratio sufficiens leibnitiana; quin hæc libertatem lædat.

Malè obijceretur hoc. Siquidem vel iudicium hoc practicum

Eticum ultimum, quod dicitur connexum cum electione, est dependens ab ipsa voluntate, ( quemadmodum ponit Bellarminus ) (1) quatenus voluntas potuisset huic iudicio resistere, aut non sinere se moveri ab objecto per rationem sibi propositam: & in isto casu iudicium illud practicum non lædit libertatem, cum potuisset impediri. Si verò non est a voluntate dependens, ut est ratio sufficiens leibnitiana; & in hoc casu libertatem destruit, quemadmodum & ratio leibnitiana.

Possit pariformiter a Deo infinite libero sumi exemplum ad hominis libertatem. Sanè Leibnitzius, & post ipsum Wolfius admittit in Deo rationem prædictam sufficientem. „Siquidem omnia, quæ Deus voluit, & vult; & mo-  
 „ dus ipse, quo voluit, & vult; omnia habuerunt in divina  
 „ Sapientia rationem verè sufficientem: videlicet cognovit  
 „ Deus, quæ essent eligibilia, & illa elegit. Et idcirco  
 „ inter omnes Mundos possibiles hunc elegit, utpote omnium  
 „ optimum, ac perfectissimum: nec alium mundum potuit  
 „ eligere, præter hunc, quem cognovit omnium possibilium  
 „ perfectissimum. Ratio enim sufficiens ad hunc eligendum  
 „ determinare debuit voluntatem divinam „.

Hactenus Leibnitzius, ac Wolfius. Ex eadem, vel simili ratione permotus Auctor perniciosi libelli *de spiritu legum* Montesquieu, asseruit, *creationem Mundi, quæ esse videtur actio libera, supponere leges adeo invincibiles, quales supponit Fatum Atheorum*. Verùm & de hac hujus Auctoris propositione, quæ in Deo *necessitatem creandi Mundum* admittit; & de ratione sufficiente respectu divinæ voluntatis infinite liberæ: idem omnino statuendum est, ac de humana voluntate libera statutum est: Et de hoc mundo *optimo* temerariam assertionem improbamus.

Profectò quod primum spectat: In Deo, ubi perfectissima datur libertas, nulla dari omnino potest ratio prædicto

(1) De Gr. l. 3. c. 9. in respons. ad 7. arg. & lib. 4. c. 16.

dicto modo sufficiens, hoc est determinans ejus voluntatem, distincta ab ipsa divina Voluntate. Neque enim prædicta ratio esse potest Scientia ostendens objecta, cæteris eligibilia, & *omnino eligenda*: hujusmodi enim Scientia in Deo repugnat. Siquidem nullum objectum creatum, & extra Deum est Deo ullo modo *absolute* necessarium. Licet enim divina Scientia repræsentet objectum unum melius altero, adhuc divina Voluntas potest liberè se determinare ad eligendum illud, quod est minus bonum. Sic pariformiter divina Scientia potest repræsentare Voluntati divine plura media ad finem aliquem consequendum, quorum unum sit altero melius, ac conducentius: nihilotamen minus divina Voluntas non necessariò determinabitur ad illud eligendum, quod est optimum, Ut demus aliquod exemplum. Theologi omnes docent, Dei Incarnationem fuisse optimum medium ad redimendos homines; & Deum necessariò cognovisse hoc ratione priùs, quàm vellet. Nihilominus sub illo etiam judicio, asserunt, potuisse Deum id non velle, sed aliud minus conducens (1). Ergo judicium de meliore, vel utiliore medio non determinat Voluntatem divinam ad illud volendum.

Contra Mundi *optimismum* plures e catholicis, & ex ipsis heterodoxis scripsere. Clarke in primis, qui rationem sufficientem argumentis pluribus exagitavit ex capite libertatis, adegitque, Leibnitzium paradoxa enormia pronunciaré (2). Révera nonnisi temerè asseri potest, „Mundum, „ hunc adspectabilem esse absolute omnium possibilium in „ genere suo *optimum* „. Etenim conceptus ipse divine Omnipotentia de se repræsentat potentiam producendi no-

Tom. I.

F

vos

(1) Vid. Suarez in metaph. to. I. disp. 19. Sect. 6. n. 13. Petavius de Incarn. l. 2. c. 13. & to. I. l. 5. c. 6.

(2) De Crofa in dissert. de mente humana. Groningæan. 1726. Palmis in apologia Dei circa permissionem peccati. Amburg. 1736. Crouzaz in l. examen de l'essai sur l'hom. ubi Pope système expendit; & alii.

vos, & semper perfectiores Mundos cum novis, & semper perfectioribus Creaturis; nam qui potest designari divinæ Omnipotentiae terminus quoad perfectiones Creaturis conferendas, aut quomodo Virtus ejus potest exhauriri? Conceptus ipse etiam alterius Mundi possibilis non excludit Mundum alterum nostro meliorem, cum non dentur in hoc Mundo nostro perfectiones infinitæ; ut patet.

Valde absoum est, & repugnans, quod profert Leibnitzius in Theodicea (1) & Wolfius (2) quod, licet ex vi divinæ Omnipotentiae inferatur, posse a Deo fieri semper meliora, & consequenter Mundum hunc non esse omnium possibilium optimum: adhuc ex vi Sapientiae, & Bonitatis divinæ deducitur, non posse a Deo fieri meliora his, quæ fecit, nec Mundum hoc nostro meliorem. Argumentum hoc utriusque hominis, nullo pacto theologi (quamquam putari velint) contradictionem inter divina attributa involvit; ac proinde de se corrui. Nec obstat, quod Auctores ipsi ad argumenti fulcimentum proferunt, scilicet: voluntatem Dei semper tendere ad id, quod est optimum. Hoc enim, si intelligatur de *optimo absolute*, & *in se*; dici nequit: siquidem includit, tale objectum extra Deum esse illi aliquo modo necessarium: quod sanè dari non potest. Sufficit ergo, ut anteceditur iudicium, quod tale objectum sit conueniens; & bonum; ut Deus in æternitate sua aliquid extra se determinatè, ac liberè velit. Si verò intelligatur de *optimo medio respectu finis* a Deo intenti; & jam supra diximus cum egregiis Theologis, non teneri divinam Voluntatem ad eligendum melius medium respectu finis, sed liberam esse ad eligendum aliud, modò sit aptum, & conueniens.

Ridiculum deinde est, quod ipse Leibnitzius loc. cit. subdit: „Mundum hunc nostrum, si non esset absolute „perfectissimus, esse absolute malum. Siquidem id, quod „est minus bonum, dici potest absolute malum; quem- „admo-

(1) Pa. I.

(2) L. c. §. 383. seq.



5. admodum id, quod est minus malum, dici potest abso-  
 ,, lute bonum. Repugnat autem, Deum elegisse aliquid  
 ,, absolute malum,,. Ratiocinatio Leibnitii paralogismum  
 claudit. Nam *minus malum* est, & dici semper debet ma-  
 lum; & pari ratione *minus bonum* est, & dici etiam de-  
 bet absolute bonum. Idcirco malum simpliciter malum non  
 opponitur malo magis tali; & bonum de se simpliciter bo-  
 num non opponitur bono meliori. Deus ergo potuit bonum  
 simpliciter eligere, relicto meliore.

Quod si instaret Leibnitzius, ut in loc. cit. ,, Mundo  
 ,, huic nostro non optimo, & perfectissimo posse aliquid  
 ,, dari, quod correctione indigeret: ,, reponerem, nul-  
 lum in hoc absonum concipi. In complexo enim rerum con-  
 stituentium Mundum hunc bonum, plura dantur, quæ cor-  
 rectione indigent; sed quinam potest illa corrigere, præ-  
 ter Deum ipsum Mundi opificem? Quid in hoc absurdi?  
 Quælibet enim Creatura suas habet imperfectiones, quibus  
 carere potest alia possibilis Creatura.

Voluntas itaque libera tum divina, tum humana  
 nunquam determinatur a iudicio intellectûs nisi sub aliqua  
 certa ratione *necessitatis*. Ut scilicet nisi intellectus judi-  
 cet, hoc bonum, seu objectum eligibile esse *necessarium*;  
 nunquam voluntas ab objecto determinabitur; sed remane-  
 bit indifferens ad illud eligendum, vel non. Potest autem  
 objectum considerari *necessarium absolute*, ut est Deus ipse  
 sibi, & videntibus illum: in quo casu non datur libertas  
 ad illum non amandum. Potest rursus judicari objectum *necef-  
 sarium hypotheticè* ex præsuppositione prioris voluntatis; sicuti  
 iudicatur *necessarium unicum medium*, suppositâ delibera-  
 tione finis; & in hoc casu datur libertas: poterat enim  
 antecedenter impediri.

Quare in ordine ad electionem *optimi* ex parte Dei;  
 Deus nunquam potest dici eligere *extra se optimum absolute*,  
 & *simpliciter*, seclusâ unione hypothetica.

Optimum *absolutè* , & *simpliciter* illud respectu Dei esset , ultra quod non posset divina Omnipotentia se extendere . Hoc autem dari nequit ; cùm nulla possit Creatura designari , quàm meliorem Deus in aliqua ratione efficere non posset . Patet hoc evidenter , sive consideretur divinæ infinitæ Omnipotentæ ratio ; sive ipsius Creaturæ , ex qualibet parte limitatæ intimus conceptus . Omnipotentia siquidem divina ad omne id se extendit , quod contradictionem , & repugnantiam non involvat . Qualibet autem datâ Creaturâ alia quælibet perfectior , & melior usque in infinitum contradictionem non dicit , ut per se manifestum est . De unione autem hypostatica aliter est ratiocinandum propter Verbum divinum , qui est terminus infinitæ perfectionis (1) .

Deus igitur in operibus suis optimus semper , & perfectissimus , quæcunque voluit bona , creavit modo optimo , ac perfectissimo , & ad finem optimum , ac perfectissimum omnia direxit , motus Bonitate sua infinitâ , optimâ , ac perfectissimâ : & poterat alia , atque alia meliora , & meliora loco eorum creare , quemadmodum & potest ex libera sua voluntate . Audiatur Theodoretus (2) nostras hæc propositiones egregiè confirmans : *Neque tamen quocunque poterat (Deus) , totidem creare voluit , sed ea dumtaxat , quæ satis esse sua Sapientia comprobavit . Non inde tamen rerum creationem , mundique fabricam immensâ illâ suâ potestate commensus est , sed quæcunque voluit , ea confecit .*

Itaque longè aberrat a vero Wolfius (3) ubi ait : *Deus Mundum non potuit facere aliter , quàm fecit . Et (4) : Si Deus hunc Mundum facere voluit , malis etiam physicis , & moralibus in eodem locum facere debuit .* Et antea dixerat

(1) Vid. Suar. *Metaph.* to. 3. disp. 30. sect. 16. & 17.

(2) De Curand. *Græc. affect.* l. 4.

(3) In *theol. nat.* p. 2. §. 376.

(4) §. 384.

rat (1). *Libertas voluntatis divinæ in creando ( mundo ) tota huc redit, quod potuerit mundum creare, & non creare; at non potuerit creare alium.* En præclara heterodoxi Theologi statuta! Quàm pessimè Theologus iste naturalis de Deo, ejusque attributis audit! In hæc autem absurda prolapsus est Wolfius, ut Leibnitii sententiam *de ratione sufficienti* propugnaret. Verùm & qui animo pacatiore conferunt cum Leibnitio Wolfium, & qui opus ipsum Theodiceæ Leibnitzii expendunt solerter; agnoscunt, & Wolfium non benè penetrâsse mentem Leibnitzii, & hunc in sua itia Theodicea non proposuisse sententias suas de ipsa *ratione sufficienti*, & *de Mundo optimo*, nisi ad ingenium acuendum, & veluti disputandi animo tantùm. Sanè de Wolfio hæc habent eruditi Lipsienses, pro Leibnitio suo maximè solliciti, ad an. 1721. (2): *Cl. Wolfium adoptâsse quædam ipsius ( Leibnitzii ) placita, sed cùm parùm, aut nihil de Philosophia cum ipso comunicaverit, non habere sententiarum suarum notitiam, nisi quatenus in publicum profert. Apparet adeo, quando in meditationibus suis metaphysicis dogmata leibnitziana in clariore luce posuit, & alia multa ab iis non abhorrentia addidit, ac singulas veritates cum singulis connexas in systema geometrico simillimum redegit; id quidem ipsum de suo fecisse. Atque idem etiam Wolfius ipse jam publicè professus est.*

De mente autem Leibnitzii in suis illis adeò vulgatis opinionibus methaphysicis videlicèt *Rationis sufficientis*, *Mundi optimi*, *Harmonie præstabilite*, *Monadum &c.* quas quidem in sua *Theodicea* pro apparenti Baelii refutatione proposuit; non aliam fuisse constat, fatente ipsomet Leibnitio, nisi ingenium acuere, non veritatem assequi. Patet hoc ex responsione Leibnitzii ad epistolam Cl. V. Pfaffii (1).

(1) §. 354.

(2) In collect. divers. schedarum pag. m. 92. & 93.

fi (1). Sic enim refert Pfaffius: *Rogaverat abs me vir illustis (Leibnitzius), quid de Theodicea sentirem; metho- doque illa, quæ Baelium refutasset? Scripsi, existimare me, quòd animi saltem causâ illud Philosophiæ confinxerit Systema; & quemadmodum Clericus Baelium refutaturus orige- nistam simulaverat, ita & ipse novam hanc philosophandi viam inierit ad refutandum Baelium; quæ quidem, licet pul- verem saltem oculis eorum, qui & altum alijs haud videant, injiciat; tamen eò ingeniosior sit, quòd probè perspecta & sententiam Baelii crassior, sub specie refutationis potius modo sublimiore, mysterio tamen non illic detegendo, fir- met: & diversis quoque dissidentium religionum systematis, opinionibusque alijs vix defendendis, incrustandis, favori- que aded & Theologorum omnium ferè, partium maximè nostratium (scilicet Luteranorum) aucupando, sit applica- bilis. Præoptare verd me, ut Baelii tam periculosa senten- tia seriò, solidè, & graviter refutetur. Quid, quæso, ad hæc respondit Leibnitzius, quem credideram mihi ob inge- nuam responsonem indignaturum. Ita autem ille in litteris Hannoverâ 1716. die 11. Maii ad me datis: Do verba Vi- ri formalia licet brevissima, reliqua enim epistola, quæ hoc negotium non tangunt, addere non convenit: „ Ita prorsus „ est, Vir summe reverende, uti scribis de Theodicea „ mea. Rem acu tetigisti. Et miror, neminem hæcenus fuisse „ se, qui lusum hunc meum senserit. Neque enim Philoso- „ phorum est, rem seriò semper agere, qui in fingendis hy- „ pothesibus, ut benè mones, ingenii sui vires experiuntur. „ Tu, qui Theologus es, in refutandis erroribus Theolo- „ gum agis; „ Hæc Leibnitzius... Recensui illa aliquan- do Bulfingero nostro, qui putabat jamverd, hæc ipsa Leib- nitzius serià mente haud scripsisse. Hæc habet apud Lip- siensium acta Christophorus Matthæus Pfaffius.*

Quæ

(1) Apud Lipsienses ad An. 1728. p. m. 125.

Quæ sanè volui fusiùs referre, ut ex verbis ipsis ultro citroque confidentissimè communicatis heterodoxorum hominum inter se; constaret, sententias illas Leibnitzii, quas etiam incauti Catholicorum nonnulli ebibunt, & veluti amplectuntur; ad Baelii perniciosissimas, monstrosasque opiniones confirmandas reipsa facere, quæ quidem & libertatem evertunt, & officia omnia erga Deum præsertim elidunt.



DIS-

## DISSERTATIO II.

*Quid sit Lex generatim sumpta? An detur in Deo Lex æterna? Unde promanet Lex quælibet, & ex quo capite habeat vim obligandi; & quo pacto differat Lex divina ab humana?*

I. **L** Ex generatim sumpta est, „ *Commune præceptum, „ justum, ac stabile, sufficienter promulgatum* „. Explicatur hoc, & probatur: I. *Jura non in singulas Personas, sed generaliter constituuntur* (1). Constat inductione omnium legum tum divinarum, tum humanarum, etiam civilium. Quare Lex in genere non nisi *Communitati*, præcipitur. Deinde Lex est instrumentum *politice* gubernationis; idcirco non potest imponi nisi *perfectæ Communitati*; solum capaci *politice* gubernationis, habentis vim legislativam, & coactivam. Sic est *Ecclesia, Regnum, Civitas &c.* non ita verò *Familia, seu Domus privata*, cui Paterfamilias præest æconomicè, non politicè, neque cum Jurisdictione, ac publicâ auctoritate: unde hæc non est nisi imperfecta communitas, incapax legis propriè talis.

II. Debet esse præceptum *Justum*, seu præcipere actum justum, & honestum. Si enim actus præceptus erit de se inhonestus, cum hic prohibeatur lege divinâ naturali, non potest ita præcipi, ut obliget. Quare non erit Lex. Idcirco ajebat Augustinus (2) *Lex esse non videtur, quæ justa non fuerit*. Et (3) *Quod jure fit, justè fit. Quod autem fit injusè, nec jure fieri potest. Non enim jura putanda sunt, vel dicenda iniqua hominum constituta; cum illud etiam ipsi Jus esse dicant, quod de Justitiæ fonte manaverit*. Rur-

fus

(1) L. *Jura de Legibus*.

(2) L. I. de lib. arb. c. 5.

(3) Lib. 19. de Civ. c. 21.

ius debet esse *justa Lex*, seu quæ *justè sit lata*: scilicet ut ad bonum commune sit directa (quæ est *Justitia legalis*); ut Legislator non plus præcipiat, quam possit (quæ est *Justitia commutativa*); ut pro subditorum obligatione servet distributionis æqualitatem (quæ est *Justitia distributiva*). Uno verbo, objectum, quod præcipitur a lege, esse debet honestum: & finis legis bono communi servire debet. Quod sanè paucis expressit Tullius (1): *Vitiorum emendatricem legem esse oportet, commendatricemque virtutum; ab ea vivendi doctrina ducatur.*

III. Ut sit præceptum *stabile*, quantum est de se; videlicet, ut non cesset morte Legislatoris, & non obliget tantum præsentis, sed etiam futuros subditos: donec a pari potestate revocetur; vel, mutatâ temporis cursu materiâ, desinat esse justum. In hoc sensu Lex Hebræorum vera Lex fuit, donec ex Mesiæ adventu mutata est ejus materia modo infra explicando. De se autem Lex stabilitatem inquit: Quemadmodum enim Lex traditur communitati; atque hæc de se perpetua est; sic Lex ex naturâ suâ esse debet perpetua.

IV. Tandem sine *sufficienti promulgatione* non potest Lex innotescere subditis; unde nequit esse actuum humanorum regula completa, & integra; ac proinde nec subditos obligare, quod a lege requiritur. Idcirco optimè dicitur (2): *Leges instituuntur, cum promulgantur.*

Expendamus modò, quid alii de *natura legis* senserint. In primis verò S. Thomas (3) ait „ Lex est ordinatio rationis ad bonum commune ab eo, qui curam communitatis habet, promulgata „ Sed prædictis verbis confundi potest Lex cum quolibet præcepto, dato communitati ad determinatum tempus. Sanè Lex naturâ suâ esse de-

Tom. I.

G

bet

(1) L. 1. de leg. &amp; alibi.

(2) Cap. In istif. dist. 4.

(3) 1. 2. q. 91. ar. 4.

bet stabilis, & perpetua non modò ratione communitatis perpetuæ de se, sed etiam ratione Legislatoris ad futura prospicientis, & posteros obligare intendentis. Quare præceptum impositum Adæ dici potuit Lex: quoniam traditum ipsi fuit non ut privato homini, sed ut humani generis capiti; quo sensu non ad unum hominem, sed ad omnes ejus posteros extendebatur. Idcirco eo præcepto obligabatur Eva, licèt indictum Adæ fuerit ante Evæ formationem.

Inspicere hic liceat Puffendorfsianam *Legis* notionem (1). Puffendorfius legem esse statuit: „ *Decretum, quo Superior, sibi subiectum obligat, ut ad istius præscriptum actiones suas componat* „ . Sed contra Puffendorfsium evidens est ratio. Nam in ejus sententia quælibet iniqua etiam Superioris alicujus decreta, vel præcepta dici deberent Leges. Hoc autem affirmare est rectæ rationi, & philosophorum etiam sententiis sanioribus oppositum. Lex enim de se est rectitudinis regula, & mensura. Quare Lex, iniqua jubens, nequit ullo pacto rectæ operationis humanæ esse regulam, & mensuram. Nisi fortè per quamdam emphasim ironicam dicitur, quemadmodum appellavit Apostolus *legem membrorum*; & per aliquam analogiam, & abusionem vocabuli dici solet *Lex mundi, Lex duelli, &* similes; quatenus in ordine ad aliquem finem certam præscribunt operandi rationem.

Quòd autem ethnici quoque Philosophi lumine rationis naturali agnoverint, legem rectitudinis esse debere mensuram; satis est proferre Tullii sententiam (2) *Necesse est igitur, legem haberi in rebus optimis. Prorsus assentior. Quid? quòd multa perniciofa, multa pestifera sciscuntur in Populis, quæ non magis legis nomen attingunt, quàm si latrones aliquas concessu suo sanxerint? Nam neque Medicorum præcepta dici verè possunt, si qua inscii, imperitique pro salutaribus*

mor-

(1) D: J. N. & G. l. 1. c. 6. §. 4.

(2) L. 2. de Leg.



mortifera conscripserint: neque in Populo Lex, cui cuiusmodi fuerit illa, etiam si perniciosum aliquid Populus acceperit. Ergo est Lex iustorum, in iustorumque distinctio ad illam antiquissimam, & rerum omnium principem expressa naturam, ad quam leges hominum diriguntur, quæ supplicio Improbos afficiunt, defendunt, & tuentur Bonos. Præclare intelligo; nec verò iam aliam esse ullam legem puto non modò habendam, sed ne appellandam quidem. Et ib. ait: Legem condi debere ad vitam iustam, quietam, & beatam: & ideo qui leges iniustas condidit, quidvis potius tulisse, quàm leges. Multo tandem nobilius, ac brevius dixit Isidorus (1) Legem esse debere: „ ut religioni congruat, ut disciplina conveniat, ut saluti proficiat „ .

Profecò Puffendorffium hac in re emendare tacitè voluit Hertius, & ipse heterodoxus, ubi in suis annotatis ad supradictum locum Puffendorffii apposuit effatum Chalcedii ad Timæum: „ Quid est Lex, nisi iustum sciscens honesta, „ prohibens contraria „ ?

Non ita verò correxit Heinnecius (2), ubi aliquid addidit, sed errorem non expunxit: Ego malim: ( ait post relatam Puffendorffii opinionem ) „ Præceptum Superioris, „ quo subditi pœnâ, vel præmio obligantur, ut ad ejus præscriptum actiones suas componant „ .

Multò castigatiùs loquutus est Grotius (3) Lex est regula actuum moralium obligans ad id, quod rectum est. Tum subdit: diximus autem ad rectum obligans, non simpliciter ad iustum, quia Jus hac notione non ad solius Iustitiæ, qualem exposuimus, sed & aliarum virtutum materiam pertinet. Attamen ab hoc Jure, quod rectum est, laxius iustum dicitur. Quamvis autem meliora dicat Grotius, non vacat tamen ab errore. Siquidem non distinguitur a Grotio, pro-

G 2 ut

(1) L. 5. Etymol. c. 2.

(2) In Prælect. Academ. l. 1. c. 2. §. 2.

(3) L. 1. de Jure belli, & Pacis c. 1. §. 9.

ut necesse est, Lex a quocunque *singulari* præcepto, & ad breve tempus dato. Malè autem a Puffendorffio (1) impugnatur Grotius ex eo, quod *supponat, dari aliquod justum, & rectum ante legem, & normam: adeoque legem naturæ rectum non facere, sed jam antea existens dumtaxat significare*. Malè etiam ab Heinnecio, aliisque pari de causa. Etenim, ut infra constabit, admitti debet ante ipsam veram, ac propriam naturæ legem *aliquid intrinsecè rectum*.

Illud potiùs in Grotio est jure reprehendendum, quòd putaverit, legem naturalem non fuisse ex libera Dei voluntate constitutam, sed esse intrinsecam naturæ rationali, ab eaque deduci intrinsecam actuum rectitudinem. Hæc sanè propositio falsa est, ut videbimus. Ex qua assertione concludebat Grotius (2) de lege naturali obligante, „: *Hæc quidem, quæ jam diximus, locum aliquem haberent, etiamsi daremus, quod sine summo scelere dari nequit, non dari Deum, aut non curari ab eo negotia humana* „. Quod quidem assertum nimium quantum exagitant uterque Coccejus, & alii (3). Meâ autem sententiâ Auctores isti multo magis, ac Grotius, falluntur. Negant siquidem, dari intrinsecam actuum rectitudinem, sed unicè eam repetunt ab extrinseca Dei lege: quod esse falsum, ostendam infra. Duo hæc vera, ac firma sint, oportet: 1. Legem etiam naturalem, Dei liberâ voluntate hominibus datam: 2. Dari in actibus humanis intrinsecam necessariam honestatem, aut malitiam. Ex quo duplici principio fluit, & hanc honestatem seu rectitudinem, aut malitiam aliunde, quàm a naturali lege esse hauriendam; & dari etiam in actibus, etiamsi per summum scelus dicatur, non esse Deum, nec ab eo curari negotia humana. Undenam verò repetenda sit

(1) L. 1. c. 6. §. 4.

(2) Ut in prolog. §. 11.

(3) In dissert. Proem. 1. c. 2. Puffendorffius. De J. N. & G. l. 2. c. 3. §. 19. Ziegler. ad Grotii prolog. §. 7. Kulpis in Colleg. Grot. proem. §. 3. Opalcenius prol. §. 1. aliique.

sit hujusmodi intrinseca rectitudo, aut malitia in actibus; infra demonstrabitur. Advertit hoc idem Burlamaquius (1) ubi de Grotio loquens, ait „ fuisse malè a suis Interpretibus in- „ telledum, & malè etiam impugnatum a Puffendorffio „ (2) qui asserit „ Grotium in explicando *honesto*, vel *inhonesto* na- „ turâ suâ admittere circulum; ut scilicet, legis naturalis „ materia sint actus honesti, aut inhonesti naturâ suâ: si de- „ inde quærantur, quinam sint actus in se honesti, aut inho- „ nesti, nequeat reponere, nisi quod sint illi, qui sunt ma- „ teria legis naturalis. „ Sic Puffendorffius de Grotio; qui tamen, adnotante Burlamaquio, non ita ratiocinatur; sed aliunde desumit intrinsecam honestatem, aut inhonestatem actuum (3). De eo autem, quod ait Grotius „ posse „ ea habere locum, etsi daretur, non esse Deum „ ait Burlamaquius (4), non aliud voluisse Grotium indicare, nisi *independenter a Dei legislatoris voluntate, ex sola ratione dari in homine fundamentum & obligationem ea faciendi*. Tali pacto etiam defenditur Grotius a Mascovio commentatore Puffendorffii l. c. *Grotius nihil aliud monere voluit, quàm Præcepta Juris naturæ ita niti indole, & naturâ generis humani, ut & Atheo constare possit, e re suâ esse, facere justa, omittere injusta*. Sed de his infra.

Peccant pariformiter in tradenda Legis natura Barbeyracius, & Wolfius. Ille (5) rejectâ Grotii explicatione; sic scribit: *Lex est Voluntas Superioris alicujus, variâ ratione sufficienter manifestata, qua is subjectorum suorum, aut omnes in universum, aut saltem omnes certi generis dirigit, ita ut ratione illarum ipsis necessitatem certo modo agendi imponat, aut libertatem pro lubitu agendi, vel non*  
ager-

(1) Part. 1. Princip. J. N. c. 5. §. 6.

(2) L. 2. c. 3. de J. N. & G. §. 4.

(3) Lib. 1. c. 1. §. 10. de Jure belli, & Pacis.

(4) P. 2. c. 7. §. 15.

(5) In Gallica Grotii edit. an. 1747. in nota 3. & 5.

*agendi relinquat*. Wolfius (1) sic: *Lex est regula a Superiore præscripta, juxta quam subditi actiones suas determinare obligantur*. Peccat uterque, ut ajevam, in eo, quòd iniqua etiam Superioris alicujus præcepta, quibus ad perniciem subditorum actiones dirigantur, & necessitatem sic agendi imponant, possent dici *Leges*.

Burlamaquius (2) definit Legem: *Est regula a Superiore communitatis præscripta subditis, sive ut eos obliget ad aliquid agendum timore pœnæ: sive ut eis libertatem agendi, vel non agendi pro lubitu relinquat*. Explicat deinde partes omnes, ubi cum Barbeyracio videtur consentire, & absurditatem, quæ in barbeyraciana legis definitione observatur, non satis elidit. Pari vitio laborat explicatio legis a de Felice (3); imò & præterea confundi potest cum quocunque præcepto dato etiam uni particulari Personæ, dum ait: *Lex est regula præscripta a Superiore inferiori subdito, qua illum obligat ad aliquas actiones patrandas, & ad abstinendum ab aliis, imposuâ aliquâ pœnâ*.

Ruffous (4) non aliam legis naturam exponit, nisi *quæ non distinguatur a conditionibus societatis civilis. Populus, qui legibus subditur, esse debet illarum auctor: Siquidem ad eos, qui in societatem coeunt, spectat moderari conditiones societatis*. Verùm Auctor hic, si nullam aliam agnoscit legem, nisi civilem, ortam videlicet ex pluribus in unam civitatem coeuntibus: certissimè errat; cùm dari debeat antecedenter ad hanc legem Lex alia naturalis, & Lex divina positiva, quæ non a conditionibus societatis pendent, sed obligant hominem solitariè etiam degentem. De lege autem civili an rectè senserit, non est hujus loci definire. Sanè videtur Auctor de hac tantùm loqui in sua illa notione legis. Ait enim sub initium libelli: *velle se inquire-*  
re,

(1) Part. 1. Phil. præct. univ. §. 131.

(2) L. de Princ. Jur. Nat. c. 8. §. 3.

(3) In lect. Jur. Nat. & Gent. lect. 5. (4) L. de Contractu Soc. l. 1, c. 6.

re, utrum in ordine civili dari possit aliqua legitima, & tuta regula administrationis, considerando homines, prout sunt, & leges, prout esse possunt.

Itaque Lex, ut sit *validè* præceptiva, condi debet a Superiore habente talem potestatem, scilicet condendi leges, respectu suorum subditorum. Patet ex natura rei: Si enim Lex est *Præceptum*, debet ergo dari Superior, qui præcipiat: & dari debent huic subditi, quibus præcipiatur. Hujusmodi autem potestas non debet esse *dominativa*, ut Domini in mancipia; neque *proprietas*, ut Proprietarii in bona sua; neque *privata*, ut Patrisfamilias in Familiam: sed esse debet *publica*, & quidem *cum jurisdictione*, ut possit coërcere refractarios, transgressores punire &c. Et idcirco nonnulli opinantur, spectare ad essentiam Legis *comminationem pœnæ* in transgressores; appellantque hanc *Legis sanctionem*, sic de Felice (1). *Comminatio autem pœnæ* ab ipsa legislativa potestate descendens, non est revera pars regulæ *directivæ* scilicet Legis, sed motivum aliquod ad Legem servandam; supponitur idcirco in ipsa Superioris jurisdictione contenta. Hæc sanè Potestas non competit privatis in privatos, sed vel *communitati* soli, vel iis, quibus communitatis cura commissa est: communitati quidem *perfectæ*, quæ sufficit sibi ad assequendum finem, ad quem instituta est, nempe ad conciliandam, & servandam pacem, & publicam tranquillitatem. Rursus prædicta publica potestas esse debet *principalis, primaria, & suprema* in ordine suo: qualem habet in Ecclesia *Pontifex*, in regno *Rex*, in Republica, quæ aristocraticè gubernatur, *Respublica*.

Ut deinde Lex *licitè, & rationabiliter* feratur, debet *judicari* a Superiore *Reipublicæ bono conveniens, & ad commune emolumentum conducens*, ut ab omnibus fervetur. Præterea debet Superior *velle*, legem illam ab omnibus servari.

(1) L. cit. lect. 5.

vari. Si enim quacunque ex causa oppositum deinde innotescat, Lex haudquaquam erit. Tandem necesse est, ut subditis manifestetur *sufficienti*, & *legitimâ* propositione. Quod enim legitimè ignoratur, esse nequit ratio sufficiens inducendi strictam obligationem. Hæc utique ad Superiorem spectant. Ad subditos verò, ut, ubi ea omnia extiterint, statim legi obnoxios se sentiant. Neque enim ab acceptance libera subditorum pendet vis obligandi in Lege: secus non Lex ipsa obligaret de se, sed subditi *voluntariè* se legi submitterent. Alicubi requiritur Populi acceptatio ad legis valorem; sed hoc ostendit, mancã esse, & imperfectam legislatoris potestatem; vel fortasse benignam Legislatoris voluntatem, qui vel non potest, vel non vult absolutâ uti potestate.

Non est subditorum, ubi dubitatur de legis æquitate, judicium ferre, sed standum est pro lege. Causa enim sæpè latet subditos, licèt Superiori innotescat. Neque facit ad invalidandam legem intentio prava Superioris in ea condenda. Si Lex ad bonum commune dirigi potest, quamvis ad illud a Superiore ob pravum finem non dirigatur, valida erit Lex. Peccabit quidem Superior; sed Superioris erratum Legi non nocet.

II. Explicatâ hætenus legis generatim sumptæ naturâ, ejusque proprietatibus, ad omnium legum antiquissimam, sermo convertatur. Lex hæc illa utique esse debet, quæ non Christianis tantum, Augustino potissimum Doctore, sed ethnicis etiam Philosophis innotuit, *Æterna videlicet Lex*. De ea Augustinus pluribus in locis agit (1). Profecò legem hanc æternam ethnicorum Sapientissimi agnovere, teste Tullio (2) *Hanc video sapientissimorum esse sententiam, nec scitum esse aliquod Populorum, sed æternum quiddam, quod*

(1) L. de vera Relig. c. 30. Lib. 1. de lib. arb. c. 5. & 6. L. 22. contra Faustum c. 27. & alibi.

(2) L. 2. de Leg.

quod *Universum Mundum* regit, imperandi, prohibendique *Sapientiâ*. Extant Manilii (1) versus illi.

*Hoc opus immensi constructum corpore Mundi  
Membraque naturæ diversæ condita forma,  
Aeris, atque Ignis, Terræ, Pelagique jacentis  
Vis animæ divina regit, sacroque meatu  
Conspirat Deus, & tacitâ ratione gubernat.*

Est autem Lex æterna ex Augustino (2): *Ipsa ratio, vel voluntas Dei ordinem naturalem conservari jubens, perturbari vetans*. Seu, est æterna quædam ratio practica dispositionis, & gubernationis Universi, quam exigit Providentia; ordinans res omnes in fines suos secundum ideas; quas Deus mente gerit. Seu clariùs: „ *est decretum liberæ voluntatis Dei statuentis ordinem servandum ab omnibus partibus Universi in ordine ad commune bonum; specialiter a Creaturis rationalibus quoad liberæ operationes earum* „.

Dari autem in Deo hujusmodi legem æternam, nemo negat, qui novit, dari in Deo *Providentiam* circa Creaturas potissimum rationales. De qua *Providentia* erit disputatio contra *Deistas*, ubi de Officiis J. N. erga Deum. Hæc *Providentia* supponit necessariò æternam quamdam rationem practicam, & decretum divinum totius dispositionis, & gubernationis Universi; quæ habet veram rationem legis. Argumentum hoc urget sapientissimè S. Thomas (3) ad probandum, dari in Deo legem æternam.

Quamvis primo aspectu videatur non esse satis congruum admittere hanc legem æternam in Deo, qui unus est Dominus omnium, & liberè agit, quæcunque agit: ad-

Tom.

H

huc

(1) L. 1. de Astron.

(2) Lib. cit. contra Faustum.

(3) 1. 2. q. 91. ar. 1. &amp; q. 93. per tot.

huc divina Voluntas in iis actibus, qui liberi sunt, & ordinem Universi respiciunt, potest habere, quemadmodum habet, rationem aliquam practicam, seu iudicium aliquod, quod sit regula, & aliquo modo mensura actuum divinæ voluntatis circa prædictam dispositionem. Sub hoc iudicio decretum liberum a divina voluntate efformatum, est Lex.

Neque rursus obstat, quod non videatur lata communitati alicui, quam obliget, neque rursus sufficienter promulgata. Siquidem Lex prædicta æterna omnes omnino Creaturas, earumque ordinem, ac dispositionem respicit: quare nulla est alia Lex tam latè patens, quàm isthæc, ut est evidens. Respectu hominum autem est propriè præceptiva, habetque in se vim obligandi. Deus enim, qui supremam habet imperandi potestatem, non nisi per hanc legem æternam imperat. Ejus imperium non est in tempore; ab æterno imperavit, & ab æterno obligavit. Creaturæ verò obligantur in tempore, licet vis obligandi fuerit ab æterno.

Non est autem hominibus nota per se hæc Lex; quare debet vel in aliis legibus, vel per alias leges innotescere. Profectò omnes habent participationem aliquam legis æternæ in seipsis, cum nemo utens ratione sit, qui non iudicet aliquo modo, honestum esse faciendum, turpe vitandum. Aliqui rursus assequuntur legis æternæ cognitionem vel naturali discursu, vel perfectiùs per revelationem Fidei. Tandem dignoscunt illam per leges justas, temporales, & creatas. Quia sicut Creaturæ Creatorem ostendunt, ita leges temporales, ut mox dicam, legis æternæ fontem, a quo manant, clarissimè exhibent.

Deinde promulgatio hujus legis completa est in mente Legislatoris, sed *pro futuro aliquo tempore*, ut scilicet per eam futuræ Creaturæ gubernarentur. Habuit idcirco Lex hæc ab æterno promulgationem *pro tempore aliquo* faciendam subditis vel per legem divinam positivam, vel etiam per aliam legem humanam, ut dixi: verùm ab æterno fuit

com-



completâ , & idcirco Lex hæc singularis est . Tandem ceteræ leges consummantur de factò , quando subditis promulgantur ; quia , donec promulgentur per modum legis , non sunt leges , sed possunt appellari *propositum ferendi legem* ; quia homines mutabiles sunt , & hominum decreta mutationi obnoxia . Decretum verò illud Dei , ut & ipse Deus , mutari non potest ; ab æterno existens respicit determinatum aliquod tempus , quando nimirum hominibus per externam significationem manifestatur , illosque obligat .

Ut tandem ulterius explicem , *in quonam sensu Lex æterna sit vera Lex* ? Dico : legem æternam habere rationem legis respectu rerum gubernatarum , non verò respectu ipsius Dei ; quod quidem exemplis fiet manifestum . Sic Deus legem constituit de aliquibus pœnis pro peccatis , & de præmiis pro benè actis ; & juxta has , vel illas leges constituit mundum gubernare . Lex hæc est *Lex gubernandi* , seu quasi operandi artificiosè : cui legi res ipsæ gubernandæ statim subjiciuntur . Deus verò non manet illi subjectus , sed semper est solutus legibus , ut possit operari , prout voluerit (1) . Unde , non obstante quacunque lege a se positâ circa rerum gubernationem , potest illam non servare , suâ potentiâ absolutâ utendo . Est enim supremus Dominus , & extra omnem ordinem ; neque cum humano legislatore comparandus , qui est pars suæ Communitatis .

Verùm quidem est , Deum , postquam *absolutè* decrevit aliquid facere , vel non facere , non posse contra suum decretum agere ; non quidem propter prohibitionem , quam decretum inducat , sed ex principio contradictionis : haberet enim simul , & ab æterno duo decreta contradictoria ; quæ , cum nihil sint omnino , nequeunt a Deo poni .

Differt ergo *Lex æterna* aliquo modo a *Providentia* sic : Licet utraque a voluntate divina promanet , tamen *Lex æterna* constituit veluti regulas universales , juxta quas mo-

H 2

veri

(1) S. Th. 1. 2. q. 93. a. 4. ad 1. Ansel. l. 1. *Cup Deus homo* .

veri debent, & operari res omnes creatæ: *Providentia* verò de singulis rebus in particulari disponit; atque hoc modo est veluti ratio exequendi, & applicandi legem. Idcirco S. Thomas (1) vocat *Providentiam*: *aliquid ad legem æternam consequens*.

III. Ex hac lege æterna omnis quæcunque alia Lex descendit, & vim obligandi participat. Siquidem id est certissimum, *solam legem æternam esse legem ex essentia sua*: ceteræ verò dici, atque esse leges per participationem ex illa. Constat hoc, inspiciendo legis cujusque naturam. Duo requiruntur in qualibet lege: 1. ut sit *justa, rationique conformis*. 2. ut sit *ad obligandum efficax*. Utraque hæc proprietas habetur ex lege æterna. Etenim omnis Lex non aliunde *justa* est, nisi quia judicat secundum incommutabile æternæ legis decretum: & omnis *recta ratio* a divini luminis participatione est, quod sanè signatum est in unoquoque nostrum. Rursus omnis potestas *obligans*, quæ *justa* sit, desuper datur, & ab æterna Dei lege promanat. Optimè innuitur utrumque hoc in sacris litteris (2) *Per me Reges regnant*, utique quantum ad potestatem, & *Legum conditores justa decernunt*, quantum ad rectam rationem,

Augustinus (3) egregiè rem hanc confirmat: *Conditor legum temporalium, si vir bonus est, & sapiens, illam ipsam consulit æternam, de qua nulli animæ judicare datum est, ut secundum ejus incommutabiles regulas, quid sit pro tempore jubendum, vetandumve discernat*. Et (4) rursus: *Nihil est in temporalis lege justum, quod ex lege æterna non derivetur*. Et (5) alibi: *Lex æterna Dei est, quam consulunt*

(1) Q. 3. de verit. at. 1. ad 6.

(2) Prov. 8. 15.

(3) L. de vera relig. c. 31.

(4) L. 1. de lib. arb. c. 6.

(5) Quæst. 67. in Exod.

*lunt omnes piæ mentes, ut quod in ea invenerint, vel faciant, vel jubeant, vel vetent.*

Ipsi Ethnici solo naturali lumine veritatem hanc sunt assequuti, scilicet omnem rectam, seu veram legem in hominibus existentem ab æterna lege manare. Idcirco Tullius (1) hæc habet: *Constituendi verò juris ab illa summa lege capiamus exordium, quæ sæculis omnibus ante nata est, quàm scripta Lex ulla, aut quàm omnino Civitas constituta.* Et (2) alio in loco: *Lex nihil aliud est, nisi recta, & a numine Deorum tracta ratio, imperans honesta, prohibensque contraria.*

Exinde apertè colligitur errasse, ut in pluribus aliis, in re hac D. Montesquieu, ubi in libro *De spiritu Legum* ait: *Lex in genere est ratio humana, quatenus regit, & gubernat omnes homines ubique existentes.* Profectò Lex in genere non *ratio humana*, sed divina est, quæ homines *regit*. Hæc uua Legislatores in ferendis legibus dirigit, & legibus latis vim tribuit obligandi mentes hominum. Lex æterna est, quæ auctoritatem largitur ad leges stabiliendas, sine qua nec natura, nec bonum societatis aliquid prodesset. Quare dicere debuisset, „ legem in genere esse rationi humanæ a Deo manifestatam, ut illâ „ omnes homines regantur, & gubernentur „.

Quamvis autem omnis Lex a lege æterna promanet, nihilominus differt Lex *divina positiva* a lege *humana*. In lege enim divina positiva ratio obligationis proximè est a lege ipsa æterna; indicat enim immediatè divinam voluntatem: & lex externa, quæ intervenit, est signum manifestans legem principaliter obligantem. In legibus verò humanis, licèt concurrat lex æterna ad illarum vim, & obligandi potestatem, ut causa universalis; tamen proxima causa obligationis est lex humana, ut signum voluntatis humanæ,

(1) Lib. de Leg.

(2) In Phil. 2.

manæ , habentis potestatem ferendi leges , & obligandi .

Explico ulterius rem hanc : Lex divina positiva considerari potest in ipso Legislatore Deo , & potest considerari in hominibus legi subjectis . In primo sensu est æterna , & est ipsa lex æterna secundum conceptum inadæquatum ejus , nec dici potest effectus legis æternæ . In secundo vero , prout ad extra existens in hominibus , scilicet vel in cognitione , vel in alio quolibet signo , quo proponitur , est participatio legis æternæ , excellentior quacunque aliâ : tum quia perfectius in ea participatur lex æterna : tum quia immediatius ab ipsa manat ; tum denique quia ejus obligatio immediatè est ab ipsa divina auctoritate .

De lege autem humana , licèt sit verum illam participare vim obligandi a lege æterna , & esse effectum ejus ; diversimodè tamen de ea est ratiocinandum , ac de lege divina positiva . Lex enim humana , non solum prout est in subditis , sed etiam prout est in legislatore , est quid creatum , & temporale ; & per hoc differt nimium a lege divina . Sub utraque tamen consideratione est effectus legis æternæ : etenim habet vim obligandi , prout nititur principiis legis æternæ , videlicet ,, obediendum est superioribus ,, & ut sit recta , debet legi æternæ esse conformis . Nihilominus lex humana , *prout est in subditis* , descendit ab homine , non tanquam causâ proponente , & applicante ( ut fuit Moyses in lege divina , aut alius Dei minister ) : sed ut causâ per se constituente ipsam legem . Habet ergo *proximè* a legislatoris voluntate virtutem , & efficaciam ; *remotè* a lege æterna . *Prout est in legislatore humano* est etiam lex per participationem , propter rationes suprâ expositas .

DIS-

## DISSERTATIO III.

*An detur Lex naturalis? Quid sit? Protestantium, aliorumque sententiæ expenduntur. An Lex naturalis præsupponat honestatem, vel turpitudinem aliquam necessariam in actu præcepto, aut prohibito? Ubi rursus Protestantium errores confutantur.*

I. **D** Ari legem naturalem, constat evidentissimè ex iis, quæ habet Apostolus (1) ubi de Ethnicis loquitur, *Cùm Gentes, quæ legem non habent, naturaliter ea, quæ legis sunt, faciunt; ejusmodi legem non habentes ipsi sibi sunt lex: qui ostendunt opus legis scriptum in cordibus suis, testimonium reddente illis conscientia ipsorum, & inter se invicem cogitationibus accusantibus, aut etiam defendentibus.* Jamverò Lex hujusmodi, quæ bonum jubet, & de malo reprehendit, apud Ethnicos positivam legem non habentes, non est alia nisi Lex naturalis; cujus ductu ipsi faciunt ea, quæ legis positivæ sunt: faciunt autem *naturaliter, lumine scilicet naturali*, exhibente legem naturalem.

Duplex igitur distinguit hic lumen Apostolus, quo sci-  
mus bonum præcipi, & malum vetari; alterum innuit,  
alterum verò explicat. Lumen legis scriptæ videtur innue-  
re, ubi ait: *Quæ legem non habent.* Alterum explicat:  
*ipsi sibi sunt lex.* Quod utrumque lumen clariùs expressit  
Augustinus (2). *Furtum certè punit lex tua, Domine:*  
( nempè scripta in tabulis legis ) *& lex scripta in cordi-*  
*bus hominum; quam ne ipsa quidem delet iniquitas. Quis*  
*enim fur æquo animo furem patitur?* Similia habet Prosper:  
Nam

(1) Ad Rom. 2.

(2) L. 3. Confess. c. 4.

*Nam quis erit, modò non pecus agri, aut bellua ponti,  
 Qui vitiiis aded stolidè oblectetur apertis;  
 Ut, quod agit, velit ipse pati? Mendacia fallax,  
 Furta rapax, furiosum atrox, homicida cruentum  
 Damnat, & in moechum gladios difstringit adulter.*

Tullius (1) ait, legem naturalem esse, *quam non didicimus, sed ex ipsa natura hausimus, ad quam non docti, sed facti sumus.* Plura etiam congeri possent Ethnicorum vel dicta, vel exempla ad firmandam legis naturalis veritatem. Profectò, si intimè attendatur humanæ naturæ præfens constitutio, patebit cuique ex intimo quodam sensu, dari scelerum vindicem, & virtutis retributorem sin minus in hac vita, in futura saltem: quod quidem non nisi a lege naturali nobis manifestatur. In quam certè sententiam ethnicorum sapientiores consensere; ut videbimus, ubi *de Immortalitate animæ nostræ* differemus.

Ex eo tamen, quòd lege naturali vetita sunt etiam crimina, malè quis inferret, inutilem fuisse legem positivè scriptam. Siquidem advertit Augustinus (2) per legem positivam *legisse homines in tabulis id, quod in cordibus... legere volebant.* Unde hoc alio medio inexcusabiles facti sunt multo magis, ac antea. Deinde lex positiva vim exerit etiam peculiarem, proponendo peccantibus determinata poenarum genera, quæ sanè non lex naturalis, sed positiva verè minatur. Rursus plura, quæ difficillimè ex lumine naturali cognosci possunt, ex lege scripta certissimè eruuntur. Quare maxima est conformitas inter legem naturalem, & scriptam, ut qui harmoniam istam advertit, veritatem Religionis christianæ statim agnoscit; & de utraque lege dicere potest, quod scribit Horatius: *Alterius sic Altera poscit opem res, & conjurat amicè* (3).

Lex

(1) Orat. pro Milone.

(2) In Pf. 57.

(3) De Art. Poet.

Lex ergo naturalis non modò, quod honestum est *representat*, & quod turpe, sed expressè hoc *vetat*, & illud *præcipit*. Quare distingui debet Lex naturalis a recto rationis dictamine, seu a iudicio illo mentis, per quod *honestum a turpi discernitur*: quod est rectum rationis dictamen, seu recta ratio. Sanè potuisset Deus hominem cum solo rationis dictamine creare, nec legem naturalem adjicere; quin sequatur absurdum illud, quod maximè inculcat De Felice (1) ut asserat, *esse in Deo unum, eundemque actum, hominem creare, ac illi legem naturalem imponere; ut scilicet agere posset homo modo ipsius naturæ convenienti*. Revera sunt adeo duo distincti actus, qui in Deo concipiuntur, *hominem creare, & huic legem imponere*: ut sine ullo absurdo, neque contradictione, (quemadmodum putat hic Auctor) homo creatus cum solo rectæ rationis dictamine habuisset regulam agendi modo convenienti naturæ suæ rationali, & exinde etiam ad ita agendum aliquo modo obligaretur, ut meliùs infra patebit. Siquidem ex recta ratione restringeretur moraliter libertas physica hominis ad agendum, quod naturæ suæ rationali esse conveniens recta ratio ostenderet. Voluit nihilominus Deus etiam legem naturalem addere, ut haberet homo præterea supremum suorum actuum vindicem, & præmiorum retributorem; ipsiusque iussa intimè pernosceret: quâ cognitione magis a malo averteretur, & ad bonum utique magis alliceretur.

Stante autem lege naturali, nihil est omnino physicæ hominis libertati detractum: potest enim semper homo vel juxta illam agere, vel contra; licèt ex nova obligatione facta sit nova libertatis physicæ restrictionis moralis accessio. *Quidquid ex Universi constitutione patiendum est, magno excipiatur animo*, ait Seneca ad legem naturaliter obligantem omnes advertens: tum subdit egregio veluti epiphonema-

Tom. I.

I

te:

(1) In lect. 5.

te : *In regno nati sumus ; Deo parere , libertas est (1) ;* Perficit autem humanam libertatem Lex naturalis , dum a malo deterret . Ut enim novimus : *agere malum propriè vitium est libertatis , non perfectio .* Deus siquidem omnimodâ libertate gaudens malum agere nequit .

Lex tandem naturalis a lege æterna distinguitur , sed ab ista efficacitatem suam pari modo participat . Distinguitur sanè : quia Lex æterna est ratio practica existens in Deo in ordine ad gubernationem Universi ; Lex autem naturalis est in unoquoque homine , & in cordibus hominum , ut ait Apostolus . Participat autem vim suam ab illa ; quoniam voluntatem Dei conditoris , & gubernatoris naturæ rationalis manifestat , ejusque præceptum homini traditum de operando juxta rectam rationem : *Quis enim scribit in cordibus hominum naturalem legem , nisi Deus ?* ait Augustinus (2) .

Satis jam demonstratum est , dari in hominum cordibus legem naturalem : inspiciamus modò , *quid ea sit , & in quonam consistat ?* Profectò de lege naturali loquimur , prout *in nobis* ipsis est , non prout est *in Deo* ipsius Auctore .

II. Lex naturalis est : *lumen naturale intellectûs dictans voluntatem Dei auctoris , & supremi domini gubernatoris humanæ naturæ , obligantem homines ad id servandum , quod recta ratio indicat .* Profectò lumen intellectûs dictans necessariam honestatem , vel turpitudinem objecti est dictamen rectæ rationis , seu recta ratio , & non potest dici Lex strictè obligans , quæ requirit *Voluntatem* Legislatoris obligantis . Lumen verò intellectûs repræsentans voluntatem Dei modo dicto est Lex naturalis . Quod quidem lumen est sufficiens promulgatio legis ipsius naturalis in homine , advertente ad naturam suam , & ad statum suum .

Hæc est Lex naturalis in homine existens , & vim legis

(1) De vit. beat. c. 15.

(2) 2. de ser. Dom. in monte c. 15.



gis strictè obligantis habens ; prout verò existit in Deo ; est : *Voluntas Dei auctoris , & gubernatoris naturæ humanæ , obligans ad id servandum , quod recta ratio dicitur* . Idcirco Lex naturalis primariò in divinæ voluntatis imperio , secundariò in lumine mentis humanæ , illud indicante , sita est .

Rationes autem , unde moveor ad prædictam legis naturalis explicationem , sunt : Quia Lex naturalis has debet habere proprietates : 1. ut sit veluti scripta in cordibus hominum . 2. ut non modò sit indicativa mali , & boni , sed etiam contineat veram prohibitionem mali , & præceptionem boni . 3. ut divinæ voluntatis mandatum exhibeat . 4. ut ante divinæ voluntatis mandatum præcedat iudicium de malitia , & bonitate objecti . Hæc omnia legis naturalis attributa partim ex dictis , partim ex infra dicendis , vera esse constat .

Sanè lumen naturale intellectus , quod est aliquod permanens in anima , valens in tempore , & circumstantiis exhibere , quod diximus , potest dici aliquo modo insitum in nobis , & veluti scriptum in cordibus nostris , seu in nostris mentibus ; unde agere potest legis naturalis partes . Deinde exhibet veram obligationem ad servandum id , quod recta ratio dicitur , innuendo voluntatem , & imperium Dei strictè obligantis : Siquidem per lumen ipsum naturale cognoscimus , Deum offendi peccatis , quæ contra legem naturalem , seu contra necessariam honestatem sunt : & ad ipsum pertinere eorum punitionem , & iudicium . Ac tandem quamvis obligatio ex lege naturali , ut est præceptiva , sit ex imperio , & voluntate divina ; tamen imperium hoc , & voluntas supponit divinum iudicium de bonitate , vel malitia objecti , puta de amore Dei , vel de odio Dei , & similibus , ( quæ recto rationis dictamine nobis innotescunt ) eoque posito iudicio , accedit divinæ voluntatis mandatum .

Clarissima hæc sunt , & cuilibet citra præiudicium ad-

vertenti etiam obvia. Quare Tullius asseruit (1) *Jus naturæ est ratio summa insita a Natura, quæ jubet ea, quæ facienda sunt, prohibetque contraria*. Verum incredibile dictu est, in quot absonas sententias iverint heterodoxorum ingenia ad legis naturam explicandam.

III. Thomas Hobbes (2) ait: *legem naturalem esse Dictamen rectæ rationis circa ea, quæ agenda, vel omittenda sunt ad vitæ, membrorumque conservationem, quantum fieri potest, diuturnam*. Sed in pluribus errare perspicuum est Hobbesium materialistarum coryphæum. *Dictamen rectæ rationis* de se strictè non obligat, sed tantum exhibet: aliunde ergo *obligatio*, quæ legis propria est, erui debet. Deinde unicum ne legis naturalis objectum est, *vitæ membrorumque conservatio diuturna*? Anne Lex naturalis hominem tantum hic degentem respicit, nihilque de homine post hanc vitam superstitæ, atque immortalæ curat? Sanè quænam erit Lex naturalis homini rationali, spirituali, immortalæ, extra corpus posito? Videte Hobbælii vesani, atque insanientis hominis principium!

Puffendorfius (3) *Fundamentalis Lex* (inquit) *naturæ isthæc erit: cuiuslibet homini, quantum in se, colendam, & conservandam esse pacificam adversus alios societatem, in doli, & scopo generis humani congruentem*. Et (4) describens alibi legem naturalem dixerat, eam esse, *quæ cum rationali, & sociali natura hominis ita congruit, ut humano generi honesta, & pacifica societas citra eandem consistere nequeat: aut, si mavis, quæ bonitatem velut naturalem, seu utilitatem ex nativâ suâ efficacia in ordine ad genus humanum in universum habet*. Hujusmodi autem descriptio non est propriè *Legis naturalis*, sed potiùs *Finis natura-*

turæ

(1) Lib. 1. de Leg.

(2) L. 1. de Civæ c. §. 7. & c. 2. §. 1.

(3) De J. N. & G. l. 2. c. 3. §. 15. & alibi.

(4) L. 1. c. 6. §. 18.

turæ ipsius humanæ, quem respicit principium cognoscitivum Juris naturalis. Sed de hoc Puffendorfiano principio cognoscitivo Juris naturalis, quod in *socialitate* fundatur, infra redibit sermo. Interim tamen ostendo, *socialitatem* non posse esse legem naturalem, quam inquirimus. Lynckerius (1) rejicit socialitatem istam puffendorfianam, ostenditque pluribus, eam non posse esse legem naturalem. Profectò socialitas nihil homini præcipit, sed ipsa aliquo modo præcepta est: stimulat quidem hominem ad actus honestos, sed neque appetitus socialis sibi ipsi præcipit. Rursus socialitas instituitur primariò ob *utile*, & ob *necessarium*: non tamen ob *honestum*; quam *utilitatem* etiam promovet. Hæc verò non intrinsecè bona est, nec mala, sed indifferens, Tertiò *cultus Dei* ex socialitate non pendet, neque Deus coli vult propter socialitatem, sed propter seipsum. Quartò obligatio hominis erga seipsum naturaliter prior est obligatione erga alterum: quare illa regulam præscribit societati, non hæc amoris sui, Quintò tandem custodia societatis etiam ad malam societatem se extendit. Hæc, atque alia, quæ contra socialitatem istam proferemus argumenta, ostendunt, legem naturæ sitam non esse in ista socialitate, seu, ut alii malunt dicere, in naturâ rationali, quâ socialis est.

Heinnecio aliam tradere placuit legis naturæ definitionem (2): *Complexio legum ab ipso Deo immortalis generi humano per rectam rationem promulgatarum*. Similem exhibet Coccejus: *Complexum regularum ab ipso Deo immortalis humano generi per rectam rationem promulgatarum*. Atque illa quidem Heinnecii legis naturalis expressio admitti potest, si omnes illæ leges a Deo homini per rectam rationem promulgatæ possent ad moralem aliquam unitatem reduci. Sanè omnia præcepta naturalia dicuntur optimè unam

(1) Comment. Ulrici Huberi de Jure Civit. c. 24. §. 11.

(2) Elem. Jur. Nat. & Gent. l. 1. c. 1. §. 12.

vertenti etiam obvia. Quare Tullius asseruit (1) *Jus naturæ est ratio summa insita a Natura, quæ jubet ea, quæ facienda sunt, prohibetque contraria*. Verùm incredibile dictu est, in quot absonas sententias iverint heterodoxorum ingenia ad legis naturam explicandam.

III. Thomas Hobbes (2) ait: *legem naturalem esse Dictamen rectæ rationis circa ea, quæ agenda, vel omittenda sunt ad vitæ, membrorumque conservationem, quantum fieri potest, diuturnam*. Sed in pluribus errare perspicuum est Hobbesium materialistarum coryphæum. *Dictamen rectæ rationis* de se strictè non obligat, sed tantùm exhibet: aliunde ergo *obligatio*, quæ legis propria est, erui debet. Deinde unicum ne legis naturalis objectum est, *vitæ membrorumque conservatio diuturna*? Anne Lex naturalis hominem tantùm hic degentem respicit, nihilque de homine post hanc vitam superstitæ, atque immortalæ curat? Sanè quænam erit Lex naturalis homini rationali, spirituali, immortalæ, extra corpus posito? Videte Hobbesii vesani, atque insanientis hominis principium!

Puffendorfius (3) *Fundamentalis Lex* (inquit) *naturæ isthæc erit: cuiilibet homini, quantum in se, colendam, & conservandam esse pacificam adversus alios societatem, in doli, & scopo generis humani congruentem*. Et (4) describens alibi legem naturalem dixerat, eam esse, *quæ cum rationali, & sociali natura hominis ita congruit, ut humano generi honesta, & pacifica societas citra eandem consistere nequeat: aut, si mavis, quæ bonitatem velut naturalem, seu utilitatem ex nativâ sua efficacia in ordine ad genus humanum in universum habet*. Hujusmodi autem descriptio non est propriè *Legis naturalis*, sed potiùs *Finis naturæ*

(1) Lib. 1. de Leg.

(2) L. 1. de Cive c. §. 7. & c. 2. §. 1.

(3) De J. N. & G. l. 2. c. 3. §. 15. & alibi.

(4) L. 1. c. 6. §. 18.

turæ ipsius humanæ, quem respicit principium cognoscitivum Juris naturalis. Sed de hoc Puffendorfiano principio cognoscitivo Juris naturalis, quod in *socialitate* fundatur, infra redibit sermo. Interim tamen ostendo, *socialitatem* non posse esse legem naturalem, quam inquirimus. Lynckerius (1) rejicit socialitatem istam puffendorfianam, ostenditque pluribus, eam non posse esse legem naturalem. Profectò socialitas nihil homini præcipit, sed ipsa aliquo modo præcepta est: stimulat quidem hominem ad actus honestos, sed neque appetitus socialis sibi ipsi præcipit. Rursus socialitas instituitur primariò ob *utile*, & ob *necessarium*: non tamen ob *honestum*; quam *utilitatem* etiam promovet. Hæc verò non intrinsecè bona est, nec mala, sed indifferens, Tertiò *cultus Dei* ex socialitate non pendet, neque Deus coli vult propter socialitatem, sed propter seipsum. Quarto obligatio hominis erga seipsum naturaliter prior est obligatione erga alterum: quare illa regulam præscribit societati, non hæc amoris sui, Quintò tandem custodia societatis etiam ad malam societatem se extendit. Hæc, atque alia, quæ contra socialitatem istam proferemus argumenta, ostendunt, legem naturæ sitam non esse in ista socialitate, seu, ut alii malunt dicere, in naturâ rationali, quâ socialis est.

Heinnecio aliam tradere placuit legis naturæ definitionem (2): *Complexio legum ab ipso Deo immortalis generi humano per rectam rationem promulgatarum*. Similem exhibet Coccejus: *Complexum regularum ab ipso Deo immortalis generi humano per rectam rationem promulgatarum*. Atque illa quidem Heinnecii legis naturalis expressio admitti potest, si omnes illæ leges a Deo homini per rectam rationem promulgatæ possent ad moralem aliquam unitatem reduci. Sanè omnia præcepta naturalia dicuntur optimè

unam

(1) Comment. Ulrici Huberi de Jure Civit. c. 2. §. 11.

(2) Elem. Jur. Nat. & Gent. l. 1. c. 1. §. 12.

unam legem naturalem constituere, si semel ubiantur, fi-  
cuti uniri possunt, & in uno fine, & in uno Auctore,  
seu Legislatore, & in uno modo vel vitandi malum, quia  
malum est; vel præcipiendi bonum, quia honestum ac ne-  
cessarium est.

Non ita verò admitti potest illa Cocceii, quia nullum  
exinde innotesceret discrimen *præcepta* inter, & *consilia*:  
quæ sanè dici etiam possent, regulæ a Deo hominibus pro-  
mulgatæ per rectam rationem, ut patet. Et tamen certum  
est, distinguî illa inter se, ut Polemici contra Heterodo-  
xos tuentur, & videre licet apud Bellarminum, & Suarez (1).

Similiter displicet alia legis naturalis descriptio a re-  
centiore quodam excogitata: *Congeries regularum, ad quas  
actiones liberas homines componere obligantur, naturali  
ratione cognita, atque perspecta*. Siquidem hic nulla habetur  
mentio Dei supremi Legislatoris vetantis quod malum est,  
præcipientis quod bonum: adeoque peccata merè philoso-  
phico via sterneretur, Explicare paulò amplius juvat, quo-  
modo, positâ lege naturali, peccatum merè philosophicum  
repugnet, & quare repugnet? Profectò peccatum merè phi-  
losophicum est, docente S. Thoma (2) *secundum quod con-  
trariatur rationi, non verò secundum quod est offensio con-  
tra Deum*. Distingui igitur possunt aliquo modo hæc duo: *recta  
ratio; & voluntas Dei*. Jamverò, positâ lege naturali exhi-  
bente voluntatem Dei supremi Legislatoris vetantem, vel  
præcipientem, quod recta ratio dicitur; sequitur, peccata  
omnia dissona scilicet naturæ rationali habere rationem trans-  
gressionis legis Dei, & voluntatis divinæ, & continere  
necessariam offensionem Dei, quæ est culpa theologica; ju-  
xta illud Pauli (3) *per prævaricationem legis Deum inho-  
noras*. Siquidem lumen naturale in præsentî statu repræsen-  
tans

(1) L. de monach. a c. 7. Suarez de Rel. l. 1. c. 6.

(2) 1. 2. q. 71. ar. 6. ad 4. Non est peccatum contra Deum, nisi per rationem.

(3) Rom. 2.

tans rem naturæ rationali dissonam, illam simul tempore repræsentat ut vetitam ab Auctore, & Governatore naturæ rationalis; & idcirco nequit actus ille patrari, quin simul in Auctorem, & Legislatorem supremum peccetur. Hanc utique deformitatem non haberet actus humanus rationali naturæ contrarius, si Deus *per legem naturalem, a se liberè datam homini*, illum non prohiberet: quia tunc non haberet illum virtuale contemptum Dei scilicet *Legislatoris*, quam continet transgressio legis in hac serie respectu Legislatoris.

At verò si Lex naturalis esset *congeries regularum, quibus homo actiones suas liberas conformare obligatur*: peccatum esset contra regulas naturaliter cognitæ, quibus homo se conformare tenetur; posset idcirco esse præcisè contra regulas *aliunde* obligantes, quàm a supremo auctore Deo, adeoque nullam habere rationem offensæ Dei, sed meram culpæ philosophicæ turpitudinem; quod in præsentis rerum serie repugnare novimus ex damnatione peccati philosophici ab Ecclesia pronuntiata, & ex ratione jam data.

Dixi paulò ante, *per legem naturalem a Deo liberè datam homini*. Siquidem, positâ intrinsicâ actuum humanorum honestate, vel turpitudine, (de qua re infra) nihil vetat dicere, potuisse Deum relinquere hominem cum sola recta ratione, seu honestatis principio, a quo sanè vel ad rejiciendum malum, vel ad bonum ponendum duceretur; & in eo casu daretur in Deo complacentia, & approbatio de bono honesto; & displicentia, & reprobatio mali inhonesti. Ratio est, quia honestas, vel turpitudine rei (ut mox dicam) est a voluntate divinâ independens, lex verò naturalis a divina *voluntate* dependet, quemadmodum rigorosa legis natura postulat.

Hic autem adnoto, hominem quemcunque in præsentis rerum statu contra rectam rationem aliquid agentem, agere simul tempore contra legem naturæ, licèt non ad-

ver-

vertat ad ipsum Deum Auctorem, & Governatorem naturæ rationalis. Etenim advertentia ad Deum non est ad offensam ipsius Dei necessaria, dummodo advertatur ad regulam honestatis, ut supra dixi. Nam homo agendo contra legem naturæ, Auctorem legis offendit, ejusque amicitiam solvit: unde semper peccatum illud imbibit rationem offensæ Dei, & peccati theologiçi, licet ad Deum non advertat. In hypothefi etiam proposita, quod Deus hominem constituisset sine lege naturali cum solo honestatis principio; in eo, inquam, casu peccatum contra honestatis regulas patratur contra ipsum naturæ rationalis Auctorem esset, adeoque neque in tali casu esset in toto rigore merè philosophicum. Deus enim auctor naturæ illius rectæ rationis capax, & ab illa dirigibilis, offenderetur reipsa a peccato contra rectam rationem patrato.

Cum nostra sententia videtur coherere illa Wilhelmi Grotii Hugonis Fratris (1) *Lex, quam Deus, ut naturæ auctor omnium mortalium cordibus in sevit ad discernendum honestum a turpi, illud jubens, hoc vetans*. Hanc laudat Lynckerus (2) cui placuit sic: *Vis animæ rationali congenita, ei rectum, & bonum ex concreata imagine divina representans, & inculcans simul quod sequatur, aut fugiat*. Richardus Cumberland (3) sic de lege naturali judicat: *Lex naturalis est propositio clarissimè indita menti ex natura rerum consequenter a Voluntate causæ primæ. Quæ propositio indicat actiones ad bonum commune agentium rationalium conducentes: quas præstitas præmia, neglectas pœna naturaliter sequuntur, prout exigit entium rationalium natura*.

Hujusmodi de legis naturalis descriptione sententiæ ferri aliquo modo possunt, sed nec undequaque arrident. Illa Grotii nihil explicat in particulari, videlicet in quonam actu

(1) C. 1. de Princ. Jur. Nat. §. 10.

(2) Comm. ad Huberum de Jure Civit. l. 1. c. 2.

(3) Tract. philos. c. 3. §. 1.



actū animæ nostræ , vel facultate sita sit: Lex ipsa naturalis? quam difficultatem patitur etiam illa Lynckeri. Illa tandem Cumberlandi obsecutio est ex voce illa *Propositio indita menti nostræ*. Lex siquidem improprie nimis dicitur *Propositio*: rursus formula hæc *Propositio indita menti* videtur confirmare *ideus innatas*, & quidem *actuales*: quæ a cordatioribus Philosophis expunguntur. Displicet tandem vox illa *indicat*: Lex enim non indicat tantummodo sed jubet, & præcipit; quemadmodum etiam advertit inter Ethnicos Tullius (1) *Jus naturæ est, ratio summa insita a Natura, quæ jubet ea, quæ faciendæ sunt, prohibetque contraria*. Ex quibus hominis Ethnici verbis confundi potest error hæretici Laurentii Fleischeri (2) recenter editi post Thomassium (3), ubi docet: *Præcepta naturalia non esse leges proprie dictas, sed mera consilia, monita paterna: rationem sibi relicta ignorare conceptum Dei tanquam Legislatoris, & Domini, sed solius Patris, & Doctoris: conceptam Dei tanquam Legislatoris, & Domini non producere in homine nisi metum servilem*. Et infra: *Legem naturæ proprie talem tantum complecti præcepta moralia, quæ fluunt ex regulis Justæ, seu Officia erga alios, ne turbemus socialitatem externam*. Unde infert: *Vagam libidinem non pugnare cum regulis Justæ; incestum non repugnare Juri naturali strictè dicto: sed rectius ab eo abstinere, & peccaturum Magistratum, si eum promiscue permitteret*. En ad quæ paradoxa ducit humana ratio sibi relicta, & a cupiditatibus veluti abrepta, quæ Ethnicis ipsis Philosophis, tantum non epicureis, horrorem ingererent!

IV. Sed inspiciamus, an Lex naturalis, quæ a Dei voluntate procedit, sit *tota ratio honestatis* in actibus moralibus? & an detur antecedenter ad legem naturalem alia

Tom. I.

K

diver-

(1) L. 1. de Leg.

(2) Inst. Jur. Nat. &amp; Gent.

(3) L. 1. c. 1.

diversa ratio honestatis, quæ sit etiam veluti regula, cui conformentur actus honesti ?

Equidem sic statuo: *Dei voluntatem prohibentem, vel præcipientem in lege naturali præsupponere necessariam quamdam turpitudinem, vel honestatem in actibus jure natura prohibitis, vel præceptis.* Quare consequitur, non omnem rationem moralis bonitatis, & malitiæ in observatione, vel transgressione legis naturalis esse a sola Dei voluntate præcipientem, vel prohibentem; sed dari antecedenter necessariam quamdam honestatem, vel malitiam in illis actibus.

Hanc sanè appellant aliqui malitiam, vel bonitatem *fundamentalem, vel radicalem*; quatenus fundamentum sit legi naturæ prohibenti, vel præcipienti. Alii appellant actus *moralitatem intrinsecam* antecedentem, & determinantem aliquo modo divinam voluntatem, quæ apud ipsos est prima regula honestatis (1). Quocumque appelletur nomine res in idem recidit.

Pari modo non est disputandum, an actus quicumque de se intrinsecè honestus, vel inhonestus antecedenter ad legem naturalem, appellari tantum possit *bonus*, aut *malus*; non verò *justus*, vel *injustus*? Heinnecius (2) distinguit inter actiones bonas, vel malas: justas, vel injustas. Has oriri vult a Jure, & lege, non verò illas. Unde §. 14. statuit: *Potest quis suoapte ingenio, & sine lege bene agere, impellente illum obligatione internâ . . . non tamen ideo dicendum sit, justè agere.* Non est, inquam, hîc disputandum hac super re, cum dici possit, *actum quemlibet ut Jussum* referri ad legem; ceterum absolurè confundi in communi loquendi modo ex ea potissimum, quod advertit Tullius (3) *nihil honestum esse potest, quod Justitiâ vacet.*

Ratio

(1) Vid. Ghezzi to. 2. Princ. mor. dial. 2. & Thadd. Warenkus in Jur. Nat. & Gent. p. 1. sect. 1. c. 1. §. 6.

(2) Elem. Jur. Nat. & Gent. l. 1. c. 1. §. 7. 8. 11.

(3) 1. Offic. c. 9.

Ratio autem, unde moveor ad statuentiam necessariam, & intrinsicam honestatem, vel turpitudinem in actibus lege naturæ præceptis, vel prohibitis, est: quia, si hujusmodi intrinseca, & necessaria honestas, vel inhonestas non daretur, sed unice a Lege naturali penderet: potuissent aliqua, quæ nunc sunt præcepta, prohiberi: & aliqua, quæ nunc sunt prohibita, præcipi. Sic cultus Dei nunc præceptus potuisset prohiberi; odium Dei, mendacium, & similia nunc prohibita, præcipi. Hoc autem est lumine ipso naturæ absurdum non ferendum. Fundatur autem in illo certissimo apud omnes sapientissimos Philosophos principio, quod naturæ rerum sunt immutabiles, & veritatis necessariæ quoad proprietates essentielles, atque adeo quoad convenientiam, vel disconvenientiam cum alijs.

Quare etiam respectu Dei optimè dici possunt aliqua moraliter honesta, & alia moraliter inhonesta: licet nulla respectu Dei sit vera Lex. Perperam igitur, & calumniosè criminatur sententiam nostram Samuel Coccejus (1); quasi in ea præscindatur ab existentia Dei; cum sit manifestum, naturam rationalem cum suis attributis a Deo existere, tanquam a prima rerum omnium causa; nec aliquid existentia Dei officit, dicere, antecedenter ad Dei voluntatem liberam præsupponi debere aliqua necessariò honesta, alia inhonesta. Clarissimè hoc asseruit Anselmus (2) *quod dicitur, quia quod vult Deus, justum est; & quod non vult, justum non est: non ita intelligendum est, ut, si Deus velit quodlibet inconueniens, justum sit, quia ipse vult. Non enim sequitur, si Deus vult mentiri, justum esse mentiri, sed potius Deum illum non esse*. Idem habes apud S. Thomam (3).

In hanc sententiam sapientissimi ethnicorum Philosophi descenderunt. Tullius (4) ait: *Nec verò illa parva*

K 2

vis

(1) 1. Dissert. proem. ad c. 2. sect. 3. Hugonis Grotij.

(2) L. 1. Cur Deus homo c. 12.

(3) 1. 2. q. 100. ar. 8.

(4) L. 3. de Off.

*vis Naturæ, Rationisque, quod sentit, qui sit ordo, quid sit quod deceat in factis, dictisque: nequid libidinosè aut faciat, aut cogitet, quibus ex rebus conficitur Honestum: quod etiamsi nobilitatum non sit, tamen honestum sit: quodque verè dicimus, etiamsi a nullo laudetur, laudabile esse naturá.*

Hoc idem expressit Juvenalis (1) ubi ait:

*Exemplo quodcumque malo committitur, ipsi  
Displicet Auctori; prima est hæc ultio; quod se  
Judice nemo nocens absolvitur; improba quamvis  
Gratia fallacis Prætoris vicerit Urnam.*

Perfius item (2).

*Stat contra Ratio, & secretam gannit in Aurem:  
Ne liceat facere id, quod quis vitabit agendo.*

V. Ex Protestantibus Grotius admisit hanc intrinsecam in actibus honestatem, vel turpitudinem ante legem naturalem; ait enim (3): *Objectum Juris naturalis esse actus debitos, aut illicitos per se: positivi divini (Juris) indifferentes.* Verùm Grotius non satis expressit mentem suam hac in re. Debuerat enim aliquod tradere discrimen in actu honesto ante legem, & in eodem actu honesto post legem, cum videatur asserere actum honestum (quem respicit Lex naturalis) esse *debitum* per se, hoc est ante legem. Cum revera actus de se honestus novam, ac diversam recipit obligationem post legem, quam non habebat antea. Sanè ante legem unaquæque res exigit tanquam sibi debitum, ut nihil agatur, quod sibi ipsi adversetur; & rursus exigit

(1) Sat. 13.

(2) Sat. 5.

(3) L. 1. c. 1. §. 13. n. 2. de Jure belli, & Pacis.

exigit tanquam sibi debitum , ut , quod sibi conducens est , pro loco , & tempore fiat . Hanc sanè obligationem habet homo ante quamlibet legem respectu actuum honestorum : post legem verò naturalem nova quædam addita est ex capite Legislatoris obligatio . Revera in hoc sensu loquutus est Grotius ; unde malè arguitur a Barbeyracio (1) ; & malè etiam a Samuele Coccejo & a Puffendorffio , ut suprâ advertimus etiam ex Burlamaquio .

Heinnecius (2) , visus est etiam admisisse aliquam intrinsicam bonitatem , vel malitiam in actibus ante legem naturalem : *Possit quis suoapte ingenio , & sine lege bene agere , impellente illum obligatione internâ , idque & homo nullo religionis sensu imbutus quandoque faciat , eo quod actionem , prælucente ratione , bonam , sibi que utilem fore cognoverit : non tamen ideo dicendum sit , Atheum posse justè agere .* De distinctione autem inter actum bonum , & actum justum , dixi paulò ante .

Qui autem acerrimè impugnat intrinsicam honestatis principium in actibus , est Puffendorffius , quem deinde plures A catholici sequuti sunt . Statuit itaque hic Auctor (3) : Omnem moralitatis vim in actibus a sola Dei voluntate determinata pendere . Moralitatis vim appellat *modum* , quem dicit superimponi actui cuilibet liberè a Legislatore ; *a Deo* , si actus spectat ad legem divinam sive naturalem , sive positivam ; *ab homine* , si actus pertinet ad legem humanam . Actus proinde omnis , & quicumque de se indifferens est , ut modum moralitatis unum recipiat , an alium illi oppositum : quin & integrum est Legislatore , non solum hunc vel illum oppositum actui adijcere , sed & post adjectum posse ab illo abstrahere , quem apposuerat , & contrarium subdere . Hæc est illa Puffendorffii doctrina *de Entibus moralibus* ,

(1) In notis gallicis ad edit. Gotij an. 1746.

(2) L. I. C. I. §. 7. 8. 11.

(3) De I. N. & G. l. 2. c. 1. §. 3.

bus, quam Beckmannus *diabolicam* adpellavit, eamque toti honesto, atque erudito orbi *malitiose*, ac ignominiosè *expositam* dixit; ut in differt. præliminari adnotavimus.

Juvat autem verba Puffendorffii producere. Loco supra cit. sic: *Modi hujus* (nempè *Moralitatis*) *primum Auctorem esse Deum*, qui noluit, *mortales hanc vitam sine cultu, sine more, brutorum instar transire*. Tum §. 4. subdit: *Moralitatis attributa superaddita rebus physicis ex arbitrio Dei, adeoque unicè per ejus determinationem existere*. Rursus paullo post idem repetit: *Penes ipsum* (Deum) *tantum Creatorem fuerit, libertatem voluntatis, quam homini concedere placuerat, certis limitibus circumscribere, & reluctantem intentato aliquo malo, versus eam, quam ipse vult, partem flectere*. Quin imò §. 23. ait: *Entia moralia uti impositioni suam debent originem; ita ab eadem stabilitatem quoque, aut mutationes sortiuntur; & ubi ista velut cessaverit, ipsa simul evanescent; non secus atque extincto lumine, umbra simul disparet. Et quidem quæ divina ex impositione orta sunt, nonnisi divino arbitrio iterum tolluntur; quæ hominum placito constituta sunt, eodem iterum abolentur, ipsâ personarum, aut rerum substantiâ physicâ baudquaquam immutatâ*. Ex quibus sanè liquet juxta Puffendorffium omnem omnino actionem moralem vel ex Dei, vel ex hominum voluntate pendere.

Atque hæc Puffendorffiana dogmata, quæ apud Catholicos benè moratos horrore sunt, detestabilia etiam apud aliquos Protestantibus sunt habita. Querebantur enim cum Velthemio, sic sibi eripi honestum, & turpe per se, & antecederet ad voluntatem divinam. Quod quidem facili negotio admittebat Puffendorffius, quin & Adversarios suos de hoc ipso coarguebat, quòd videlicet actus *in se*, & *per se justos, aut injustos* admitterent. Sic enim habet (1). *Quid ergo ad Jus naturæ Deus contulit, si actus illi ante*  
ejus

(1) In specim. controv. c. 5. §. 7.

*ejus præceptum in se justum fuerunt, aut injustum? Humanis equidem Legislatoribus illud per se justum, & injustum opponi debet, nequaquam autem Deo: quia voluit, & fecit, ut actus illi necessariò humana natura congruerent, vel non congruerent; & quem nulla necessitas subigebat, ut istos actus præciperet, aut vetaret, nisi quam ipse sibi fecerat, & quæ fluebat ex fine, quem sibi liberè proposuerat.*

In hoc autem egregiè fallitur, & hallucinatur Puffendorfius: Licet enim actus prædicti sint naturâ sua honesti, vel turpes, quemadmodum reipsa sunt contra Diogenis illius Cynici pronunciatum (1): *Justum, & Turpe non naturâ esse, sed Lege*: nihilominus ex lege naturali nova quædam indicta est actibus illis obligatio, & nova prohibitio; nova rursus exhibitâ est præmiorum, pœnarumque propositio; atque alia hujusmodi. Inter Deum deinde, humanosque Legislatores multum interest: neque enim quæ præcipit Deus, possunt æquè homines præcipere, nec ipsdem uti medijs ad legis observantiam. Quoad actus tamen morales, eorumque intrinsicam honestatem, vel turpitudinem non minùs respectu Dei, ac respectu hominum est ratiocinandum. Liberum fuit utique Deo creare hominem, vel non creare: positiâ autem voluntate creandi homines, non fuit Deo integrum dari actus morales, vel non dari in ipsis hominibus.

Quare jure optimo Leibnitzius contra Puffendorfiùm invehebatur (2): *Neque ipsa norma actionum, aut natura Justa a libero Dei decreto, sed ab æternis veritatibus divino Intellectui objectis pendet, quæ ipsâ, ut sic dicam, divinâ essentiâ constituuntur: meritoque a Theologis Auctor reprehensus est: quando contrarium defendit, credo, quòd pravâ consequentias non perspexisset. Neque enim Justitia essentialè*

(1) Apud Laert. l. 11. n. 16.

(2) Epist. Censoria ad Molanum Abatem an. 1709. §. 15.

le Dei attributum erit, si ipse Ius, & Justitiam arbitratus suo condidit.

Sed aliquo in loco Puffendorfius sententiam suam circumferbere videtur. Sic (1) enim ait: *Entia moralia pleaque ut inducerentur, postulasse ipsam hominis conditionem a Creatore O. M. eidem pro bonitate, & sapientia sua assignatam.* Et (2) alibi. *Voluntas Legislatoris non concipienda est tanquam cæcus quidam impetus animi, & mera libido nullâ ratione subnixâ . . . . . Ultima ratio harum legum est, quia earum observatio ad naturam, & conditionem hominis ita quadrat, ut ex illa hujus incolumitas, & felicitas, sicuti ex ejusdem neglectu calamitas, miseria, & destructio dependeat.* Et (3) rursus: *Et si nulla necessitas Deum adegerit, ut omnino hominem crearet; tamen postquam ipsum destinasset creare animal rationale, ac sociale, non poterat non Lex naturalis illi congruere, non ex necessitate absoluta, sed hypothetica. Si enim is ad contraria officia fuisset adstrictus, non sociale animal, sed alia feri, & horridi species animantis fuisset producta.* Quæ quidem omnia ostendunt, moralitatem datam actibus, & legem ipsam naturalem latam hominibus a Deo convenienter ad naturam humanam; & positâ creationis hominum voluntate, necessaria fuisse ea omnia, non libera Deo.

Hæc sanè, quæ cum toto Puffendorfi systemate minime cohærent, cum advertisset Leibnitzius, sic scribebat ad Molanum (4): *Mirum esset, Virum acutum secum adeo pugnare potuisse, nisi sciremus, facile evenire paradoxa tuentibus, ut, prævalente sensu communi, sui dogmatis obliviscantur.* Profectò si natura humana concipitur prius a Deo decreta liberè sub talibus proprietatibus, vel poterat a Deo sub

(1) L. 1. c. 2. §. 5. de I. N. & G.

(2) Specim. contro. 1. §. 6.

(3) L. 2. c. 3. §. 14. de I. N. & G.

(4) In cit. Epist.



sub aliis proprietatibus decerni, ut videlicet honesta forent ipsi, quæ nunc sunt turpia, & vice versa: vel non poterat nisi sub iis proprietatibus constitui, posito libero decreto illam creandi. Si primum: Ergo *ultima ratio harum legum* non est ( ut ipse vult ) *incolumitas, & felicitas natura humana*; sed est ejus libera Voluntas, qua homini talis natura fuit destinata. Si verò secundum: Ergo falsum est, quod sæpè repetit (1): *Nemo utique præter Deum homini dedit, ut talem habeat naturam, ut talis actuum ab ipso exercendorum esset indoles. Cùm autem Deus hominem crearet; cùm talem ipsi, ejusque actibus naturam daret, quàm maximè voluntariè agebat. Igitur moralitas illa actuum humanorum ad voluntatem Dei antecedenter se habere, falsè dicitur.*

Ex quibus postremis verbis illud a nobis supra expostum absurdum descendit apodicticè: Si actuum humanorum moralitas non est antecedenter ad voluntatem Dei: ergo & ex Dei voluntate iidem, qui nunc sunt actus morales, poterant tales non esse, & qui sub una moralitatis specie continentur, poterant sub alia comprehendi, scilicet ante liberum Dei decretum: Quare homicidium sub tota mentis advertentia, & plena voluntatis libertate patratum, potuisset non esse actus moralis, adeoque nec peccatum: & mendacium, perjurium, odium ipsum Dei esse sub genere honestatis.

Sed urget nihilominus Puffendorfius (2), *qua ratione actioni hominis competere possit aliqua affectio extra Dei impositionem, & voluntatem?* Rursus ibidem sæpissimè repetit, quoslibet actus extra legem indifferentes esse omnino; siquidem, remotâ lege, removetur, quidquid est morale in actu illo. Ex concludit: *Si ab his omnibus ( Adulterio, Furto, Homicidio, Incestu, aliisque ) removeas respectum*

Tom. I.

L

ad

(1) L. 1. c. 2. §. 3. de I. N. &amp; G. &amp; in specim. contr. §. 26.

(2) L. 1. c. 2. c. 2. §. 6. de I. N. &amp; G.

ad legem, utique indifferentia sunt. Quòd autem multi naturalem istam indifferentiam agrè concipere queant; inde est; quòd a teneris istorum vitiorum detestatio nobis fuit inculcata: quæ opinio simplici adhuc menti impressa in vim naturalis cujusdam affectus videtur invaluisse. Et alibi (1): *Vulgus*, ait, *legem naturæ ex populari informatione, usuque publico haurire solet: eique ad ejusdem certitudinem satis esse debet auctoritas superiorum, qui illam in Civitatibus exerceri curant; & quòd ipsi rationes probabiles desint, quibus ejusdem veritas labefacturi, aut convelli possit; & quòd præsentem ipsius utilitatem deprehendit.* En *Juris naturalis fontes in Populo ex Puffendorffio: Usus aliorum, & propria utilitas.*

Obiicienti autem sibi, quòd in pueris, & rudi vulgo magna deprehendatur facilitas, æquum ab iniquo discernendi: respondet; *Id ex adfuetudine provenit: dum a teneris annis, & statim atque usum aliquem rationis exserunt, vident bona probari, mala improbari, & illa laudem, hac penam sequi. Quorum quotidianum exercitium, & totius vite communis compages ad istum modum digesta, ita animos disponit, ut paucis dubitare succurrat, an aliter ista fieri possint?*

Quare sic rem totam coordinat Puffendorffius (2). *Primò omnium concipitur homo, tanquam Creatura rationalis a Deo liberè producenda: Inde concipitur habitudo ipsorum actuum ad normam dirigi aptorum: Post hanc Lex, tanquam norma, ad quam actus isti necessariò referendi, & dirigendi sint: ut demum concipitur honestas, & turpitudò, tanquam affectiones actuum ad normam relatorum.*

Verùm in tota hac ratiocinatione nimium quantum fallitur Puffendorffius. Atque illud in primis est omnino falsum: extra Dei impositionem, & voluntatem nihil posse actio-

(1) L. 2. c. 3. §. 13.

(2) In specim. contr. c. 5. §. 26.

actioni hominis competere. Etenim extra Dei voluntatem, & legem concipitur optimè id, quod *honestum* est, id quod *turpe* est. Et revera honestas, & inhonestas actuum nonne optimè etiam in ipso Deo concipi potest, quemadmodum in anima rationali concipitur? Nonne in ipso Deo concipitur indecens, & turpe *velle mentiri*; & e contrario honestum, & valde decens *implere promissa*? Atque hoc independenter a qualibet lege, & a quolibet divinæ voluntatis actu? Siquidem *Veracitas & Fidelitas* sunt essentialia Deo: nec essent ipsi essentialia, ut advertit Leibnitzius, si ipse arbitrato suo decrevisset fecissetque mendacium malum. Ex divina voluntate concipi potest libera determinatio existentie Creaturæ rationalis cum ejus essentia, & proprietatibus: qua positâ, habetur principium remotum, & fundamentum moralitatis: nam proximum principium est actualis advertentia intellectus, & libera voluntatis electio; de quibus suprâ. Ex ipsa divina voluntate concipitur Lex naturalis præcipiens actus aliquos, & alios vetans: & quidem isti actus non ideo honesti sunt, quia lege naturali præcipiuntur; nec alii turpes ideo, quia prohibentur: sed contra, ideo præcipiuntur, quia honesti; ideo prohibentur, quia turpes. Qua latâ lege, actus ipsi novam induunt bonitatis, & malitiæ speciem ex lege obligante, ad quam referuntur.

Quare præposterus est ordo ille a Puffendorffio statutus, quasi honestas, & inhonestas nonnisi post legem a Deo latam sit in actibus Creaturæ rationalis. Cum ante omnem legem, imò ante quodlibet divinæ voluntatis liberum decretum honestas, & inhonestas concipi debeat, imò in ipso Deo concipiatur.

Inde deducitur, errare Puffendorffium asserendo, remotâ lege, removeri ab actibus moralitatem, & si ab adulterio, furto, incestu respectum ad legem abstrahas, nihil in illis esse turpe, sed ea esse indifferentia. Redit enim

contra ipsum ratio a nobis proposita: Potuisse videlicet ea omnia ex Dei voluntate diversimodè constitui; quod nemo sanæ mentis admittet. *Hæc pravæ consequentiæ non perspexit Puffendorffius, quando illa asseruit.* Sic Leibnitzius in Epist. supra cit.

Tandem, quod subdit, ,, idcirco vitia illa non posse a ,, nobis concipi indifferentia, quia vitiorum illorum detestatio ,, fuerit nobis a teneris annis inculcata ,, est iniquum adeo, ut etiam in hoc depravatum ejus animum Hobbesii lectione dixerim, ut Mascovius notavit. Inde enim sequeretur: *Honestatis Principium, atque Inhonestatis innotescere nobis non a lumine rationis super nos signato, sed ab extrinsecâ aliorum instructione.* Quasi verò homo inter vefanos, sceleratosque homines educatus, adeoque non habens a teneris inculcatam vitiorum illorum detestationem, posset flagitia illa indifferentia reputare, & non esset (contra ac definit Apostolus Paulus) & ipse etiam, admittendo ea flagitia, *ἀναπολόγητος*. Quod sanè non Catholicorum tantùm aures enormiter offendit, sed & Protestantium pariformiter; quemadmodum & alia in hac re ipsius dogmata. Sanè Ulricus Hubero apud Mascovium hîc (1) censet sententiam hanc Puffendorffii *inutilem, atque erroneam*: inutilem quidem, quòd reddat hominem contra dictamen rationis operantem minùs inexcusabilem, si copiam institutionis non habuerit: erroneam, quia sacris litteris, & experientiæ repugnat. Nam Paulus (2) ait: *Gentes, quæ legem non habent, naturâ, quæ legis sunt, faciunt, nec ait, ex aliorum institutione.* Rursus experientiâ habemus, quemlibet, seipsum considerantem, aliquod interius principium sentire. unde negandum non est, hominem inter homines agentem, suo ingenio, ultra aliorum institutionem, quod Juris naturæ sit, posse cognoscere. Non innascuntur quidem men-

ti

(1) Par. 2. digref. l. 1. c. 5. §. 6.

(2) Ad Rom. 2. 14.

ti Juris naturalis præcepta ad modum distinctorum & actualium Principiorum: ac rursus fatendum est, bonam educationem, & formationem ad excitandos Juris in natura positi igniculos; & in alteram partem corruptelas morum ad extinguendos illos, multum posse. Hæc, & alia subdit citatus Hubero, qui nimirum optimè expendit, quanto sit detrimento, Principia honestatis in meram fidem humanam, hominumque consuetudinem refundere.

Lynckerus (1) maximè exagitat illam Puffendorffii (2) sententiam, videlicet: *Turpitude moralis datur respectu hominis tantùm ex hypothesi, postquam Deus hominem, animal rationale esse voluerit*. Ac si potuisset a Deo creari homo, quin simul animal rationale esset. Peccat Puffendorffius in recta, & sana Philosophia: Si idem, unumque est, homo & animal rationale, ut est certum: implicat contradictionem, esse hominem & non esse animal rationale, hoc est, esse hominem, & essentiam hominis non habere: quod est, esse hominem, & non esse hominem: quæ cum contradictoria sint, adeoque nihil, non possunt a Deo poni. Si ergo non potest esse homo, nisi cum ea natura rationali necessariò; sequitur, homine posito, non posse non esse turpia, quæ turpia sunt: & honesta, quæ talia sunt.

Idcirco ante legem naturalem, & secluso respectu ad legem, dicendum est: *Mentiri esse malum, & culpabile malitiâ morali*; utpote contrarium, & disconveniens naturæ rationali. Additâ verò lege naturali prohibente, actus ille novam specialem induit malitiam apud Deum ex transgressione legis a Deo latæ, juxta illud Pauli: *Per prævaricationem legis Deum inhonoras* (3). Et in eadem ac-

(1) Comment. ad Huberum.

(2) L. 2. c. 3. §. 4. de I. N. & G.

(3) Ad Rom. 2.

ceptione est illud ejusdem Apostoli (1) *ubi non est lex, nec prævaricatio.*

Ex impugnatione hæcenus exhibita Puffendorfianæ sententiæ circa indifferentiam moralem actuum humanorum, independentem a lege vel præcipiente, vel prohibente; sequitur primò impugnationis Samuelis de Coccej (2), ubi eadem ferme repetit, quæ Puffendorfius; additque, insuper ex jussu Dei pro interñciendo aliquo innocente probari, actum ceteroqui inhonestum posse ex Dei voluntate fieri honestum. Sed Cocceus miserè hallucinatur; videbimus infra in Dissertat. VI. quomodo ex prædicto Dei jussu nihil sit in Jure naturæ intrinseco immutatum. Sequitur secundò impugnationis alterius sententiæ, quæ inter aliquos etiam Catholicos est recepta, quæ tamen, si explicetur, in nostram recidet. Schwarzius (3) asserit, primam rationem bonitatis, & malitiæ in actibus humanis esse legem æternam Dei; quæ in actu libero voluntatis divinæ est; ut diximus. Et videtur aliquo modo cum Puffendorfo sentire (4). Sed nihilominus agnoscit in actibus ipsis humanis absque respectu ad legem bonitatem aliquam, vel malitiam materialiter talem, & physicam, seu radicalem dicentem congruentiam, aut oppositionem qualemcumque cum fine, naturæ rationali indispensabiliter proprio. Totum hoc autem, quod est intrinsecum actibus, nec a lege dependens, ex ipso Schwarzio fundat exigentiam in Deo, ut lege suâ vel prohibeatur, vel præcipiatur.

Verùm hujusmodi intrinseca bonitas, vel malitia, actuum independentem a lege, quamvis vocetur *materialis, physica, radicalis*, est re ipsa *moralis*, & esse potest *regula directiva morum*; si verè talis est, ut exigat a Deo vel præ-

(1) Ad Rom. 4.

(2) In addition. ad Comment. Henrici lib. 1. Grotii c. 1. §. 10.

(3) Institut. Juris publ. univ. Nat. & G. part. I. tit. 1. last. IV.

(4) L. 1. c. 1. §. 4. de I. N. & G.

præceptionem, vel prohibitionem in lege sua. Etenim si in linea *moralis* essent actus omnes indifferentes, nihilque conferret ad *intrinsecam moralitatem* actuum prædicta bonitas, aut malitia *materialis, physica, radicalis*: non est, cur non potuissent a Deo præcipi in linea *moralis* actus, qui sunt prohibiti; & prohiberi actus, qui sunt præcepti. Hoc Schwarzius non concedit, quod ultro concedit Puffendorfius, *motum physicum sine respectu ad legem esse indifferentem in genere morum: quamlibet actionem humanam citra respectum ad legem esse in genere morum indifferentem* (1). Et consequenter ad hæc ultro fatetur, posse pro arbitrio, sublatis modis moralitatis, remanere actum physicum sine ulla mutatione rei: *quemadmodum fuerunt pro libito impositi modi illi* (quibus actus factus est *moralis*) . . . *iterum, pro libitu possunt deleri, nullâ mutatione physicâ in re, cui erant superadditi, superveniente*. Adeoque actus odii Dei, mendacii, & c. posset evadere pro arbitrio indifferens omnino ad modos moralitatis suscipiendos, & consequenter, ut præcipiatur, vel prohibeatur. Totum hoc, quod satis enorme est, non admittit Schwarzius; & idcirco a Puffendorfo recedens nobiscum sentit reipsa, quamvis verbo discrepet.

Ad exturbandam *intrinsecam* actuum humanorum honestatem exhibet Marchio de Argens (3) exempla aliquarum Gentium, ut sunt Caribes, Drusi, Peruani, in quibus mores sunt honestati omnino repugnantes: sic ibi Infantes benè saginati & pingues a Parentibus devorantur. Idem fit apud Peruanos de Uxoribus, quæ Filios ultra non gignunt. Drusi Intra annum certis quibusdam diebus communes reddunt Uxores. Hæc autem, aliaque hujusmodi exempla, *si vera sunt*, nihil omnino contra *intrinsecam* ho-

(1) Sic in spec. contr. c. 5. §. 2.

(2) L. 1. c. 1. §. 23. de I. N. & G.

(3) Lib. Philolophia Boni sensus.

honestatis regulam inferunt : Siquidem in aliquibus Nationibus, ubi nulla est Fidei cognitio, nulla erudiendi animi instructio, mentes obrutescunt adeo, ut, quæ recta ratio dicat, minimè percipiant, aut veriùs minimè advertant. Lumen enim, quod exiguum sanè est, naturæ rationalis, rectæ rationis, ac legis naturalis ob densas corruptorum morum caligines satis non est, saltem in aliquibus, ad id cognoscendum, quod honestum est; quod si cognoscitur aliquando, adhuc inveteratâ consuetudine ad eadem inhonesta perpetranda citra omnem verecundiam, ac pudorem rapiuntur. Dixi supra *si vera sunt* : De Auctoris enim fide est dubitandum : plura enim ibi referuntur, quæ a vero aberrant, quòd si eodem criterio cetera eo in libro satis pernicioso proposita narrantur, nihil est, de quo prudentissimè dubitari non liceat. Unum proferam, quod fortè occurrit, offenditque oculos. De Italis refert, ut eorum religionem risui exponat, „ Romæ Pontificis mu- „ lam eos exosculari, in devoti animi obsequium „. Quo quid falsius, atque insulsius dici potest ?



DIS-



## DISSERTATIO IV.

*Honestas objectiva quid sit? SS. PP. loquutiones explicantur. Quid de hac honestate senserint damnata capita Hobbes, & Spinoza, aliique? Impugnantur. Quid Christianus Wolfius? Hujus systema exponitur, & confutatur. Quid Burlamaquius hac super re?*

I. **N**omine *honestatis objectivæ* intelligitur non *Bonitas* *objecti quæcunque*, sed determinata quædam *Bonitas* *respiciens mores*. Profectò *objectum delectabile*, & *objectum per se perficiens naturam*, illique *commodum*, ut est *Sanitas*, *Integritas*, *Vita ipsa*, *Animæ facultates*, *Doctrina*, & *his similia*, sunt *objecta bona* quidem, sed *respiciunt naturam*. *Res etiam externæ*, circa quas versantur *actus vitales*, habent *rationem aliquam bonitatis*, unde sunt *appetibilia*. *Bonum* enim ex Aristotile (1) dicitur *id, quod omnia appetunt*. Profectò & apud Tullium (2) legimus: *Tria genera bonorum Peripatetici faciunt maxima animi, secunda corporis, tertia externa*.

In præsentī igitur est sermo de *Bono morali*, & *honesto*, quod nomine *honestatis objectivæ* venit. Sanè *Bonum hoc morale*, & *honestum a bono quolibet ad naturam utcunque spectante*, vel ad *res externas maximè distinguitur*. Siquidem in aliquo casu *bonum naturæ esse potest malum morale*; & *viceversâ malum naturæ potest esse bonum morale*. *Vir bonus*, (ait Seneca,) (3) *quod honestè se futurum putaverit, faciet, etiamsi laboriosum erit; faciet, etiamsi damnosum erit; faciet, etiamsi periculosum erit. Rursus quod turpe erit, non faciet, etiamsi pecuniam affert, etiamsi voluptatem, etiamsi potentiam*. Sic *vitam ipsam tueri*

Tom. I.

M

est

(1) In Eth.

(2) L. 5. Tuscul. c. 30.

(3) Ep. 76.

est bonum naturæ, & tamen aliquando vitam profundere, est actus maximè honestus, & bonus; & vitam servare, neglectis illis officiis, esset malum morale. Augustinus (1) ait: *Præstat Deo dilecto emori, quàm contempto vivere.* Hoc egregiè confirmavit apud Machabæos Senex ille celeberrimus Eleazar (2) de quo honoris gratiâ Scriptor divinus sic loquitur: *At ille gloriosissimam mortem magis, quàm odibilem vitam (scilicet comestione carnis vetitæ) completens, voluntariè præibat ad supplicium.* Et paulò post: *desinavit non admittere illicita propter vitæ amorem.* Ex opposito autem turpissimum, & in sacris litteris detestabile Amnonis flagitium (3) veritatem hanc probat vel maximè.

Quandoquidem *honestas objectiva* est quoddam *bonum objecti*, ut modò diximus: congruum est, ut explicemus, quid reipsa *Bonum* sit; sic enim ad dignoscendum *bonum respiciens mores*, seu bonum *honestum* deveniemus. Itaque *Bonum*, quodcumque illud sit, si rectè, ac funditus inspicatur, tale est respectu rei illius, cui bonum est. Dari idcirco debet inter utrumque terminum congruentia quædam, seu quædam convenientia, ex qua mutuus consurgat consentaneus motus in utroque, unde *bonum* illud sit, & dicatur *amabile rei*. *Congruentia* autem hæc concipi quidem potest, explicari vix potest. Illud juvat expromere, quod tradit Dionysius Petavius (4): *Quæ boni propria est congruentia, ad usum quemdam, ac fructum, sive commodum refertur: eoque modo non alii tantummodo, sed sibi etiam Deus ipsi bonus est: quia sibi maximè convenit, & eo ipso est amabilis. Siquidem reipsa se amat, & amat ideo, quia bonus est: hoc est, sibi convenit, & ad fruendum est apertissimus, atque in se acquiescit uno.*

Qua-

(1) Tr. 51. in Joan.

(2) L. 2. c. 4.

(3) L. 2. Reg. c. 13.

(4) Theol. dogm. to. 8. l. 6. c. 1. n. 5.

Quare consequitur, ut *ipsum esse divinum*; maximè quidem conveniens Deo, eique bonum; si proponatur homini *ut sibi appetendum*, non habet rationem boni honesti: quia *non est homini proportionatum*. Si verò proponatur *ut amandum Deo* est objectum honestissimum, & homini quoque proportionatum. Idcirco *bonum* quodcumque requirit semper aliquam convenientiam, vel congruentiam, vel proportionem cum re illa, cui proponitur, cuique est bonum: Et inter duo illa intercedere debet realis aliqua connexio, vel habitudo, vel capacitas, vel proportio, vel inclinatio naturalis, quæ sanè inter alia duo non intercedit. *Bonum* proinde *honestum* pari modo congruere debet aliqua ratione, & convenire cum natura hominis, cui proponitur, & est bonum.

Ex opposita ratione *Mali* naturam expressit Augustinus ab inconvenientia cum iis rebus, quibus *malum* est (1). *Malum est, quod contra Naturam est . . . idest ipsa inconvenientia, quæ sine dubio non est substantia, sed inimica substantiæ*. Tum: *quatuor ipsa, quæ in promptu sunt, elementa, quis dubitet prodesse per convenientiam, inconvenienter autem adhibita vehementer adversa esse naturæ?* Et (2) alibi: *Mulus modus, vel mala species, vel malus ordo aut ideo dicuntur, quia minora sunt, quàm esse debuerunt, aut quia non his rebus accommodantur, quibus accommodanda sunt, ut ideo dicantur mala, quia sunt aliena, & incongrua*.

Itaque *honestas objectiva*, seu *bonum honestum* consistit, in quadam convenientia objecti per se ipsum cum natura, *rationali*, ut talis est, & ut rectè ratione gubernari potest.

In hanc objecti honesti intelligentiam devenio: Quia bonum honestum est supremum bonum, quod dari potest re-

M 2

spectu

(1) L. 2. de mor. Manich.

(2) Lib. de Nat. boni adv. Manich. c. 33.

specu hominis. Ergo homini convenire debet secundum supremam perfectionem, quæ in eo sit. Hujusmodi autem perfectio *natura rationalis* est, ut *rectâ ratione dirigibilis*. Huic ergo perfectioni congruere debet. Patet hoc ipsum invertendo: Ratio *boni* cujuscunque sita est in aliqua convenientia, proportionem, congruentiam cum re illa, cui bonum est. Dari ergo debet respectu *naturæ rationalis*, prout *rectâ ratione dirigibilis* est, objectum aliquod illi bonum, & consequenter illi congruens, & proportionatum. Cùmque hujusmodi objectum bonum nequeat esse id, quod *utile* est, vel *delectabile*, ut per se constat; siquidem & Brutis congruit bonum *utile*, & *delectabile*. Superest ergo, ut sit *honestum*.

Patet idcirco, *bonum honestum* revera esse in ipsa re; & consurgere ex rei ipsius proprietatibus, habentibus hanc cum *natura rationali*, & *rectâ ratione dirigibili* congruentiam, quam diximus. Ubi primùm igitur mente nostrâ advertimus, rem aliquam esse *rectæ rationi conformem*, statim inferimus, rem illam esse *honestam*. *Recta ratio* itaque nobis datur, ut per eam discernamus, quodnam sit *honestum*, quodnam verò *turpe*. Judicii autem veritas, & rectitudo in eo sita est, ut tale judicetur objectum, quale revera est in seipso; ac tunc dicitur *dictamen rectum*, quod comuniter audit. Egregiè rem hanc expressit Seneca (1), quod *proprium est hominis, queris, quid sit? Animus, & Ratio in animo perfecta*. *Quid est autem, quod ab illo Ratio hæc exigit? Rem facillimam: secundum naturam suam (scilicet rationalem) vivere: sed hanc difficilem facit communis insania. In vitia alter alterum trudimus. Quomodo autem ad salutem revocari possunt, quos nemo retinet, populus impellit?* Et (2) alibi ait: *Ratio perfecta virtus vocatur, eademque honestum (bonum) est.*

Ne-

(1) Epist. 41.

(2) Epist. 76.

Nequid autem æquivocationis contingat in recta propositionis factæ intelligentia, est advertendum, quòd *convenire*, vel *congruere alicui rei* sumi potest pro eo, quod sit alicui rei *commodum*, seu pariat ei aliquod *emolumentum*. In hac acceptione *res alicui conveniens* confunditur cum *utili*; & res tali modo conveniens est utique amabilis, sed amore concupiscentiæ. Bonum autem *honestum* non est hujusmodi, nec *amor honesti* confundi potest cum *amore concupiscentiæ*: ut patet ex notione ipsa boni *honesti*, & *utilis*; & fusè adnotavit Anselmus (1). *Convenire* igitur *naturæ rationali*, prout est Boni honesti proprium dicit in se convenientiam, & congruentiam proportionatam *perfectiõni naturæ rationalis*. Sic *Incarnationem*, dicunt Theologi, esse *convenientem Deo, ejusque Bonitati*; pari modo *misereri & liberaliter se comunicare*, & similia, sunt objecta *maximè convenientia Deo*, quia sunt proportionata *perfectiõni, & magnitudini* ejus. Bonum itaque honestum talem habet convenientiam, & proportionem cum natura rationali, ut scilicet, consideratâ naturæ rationalis perfectiõne, & dignitate, illam deceat, seu illi sit consentaneum, amare tale bonum. Et licèt nullam afferat commoditatem; tamen virtutis honestas amabilis sit naturæ rationali per se ipsam, & a natura rationali propterea intendatur. *Bonum putant esse aliqui*, (ait Seneca), (2) *quod utile est . . . tanta est apud illos Boni vilitas, & adeo usque ad sordida descendit*. Et alibi (3). *Ad honesta nitentes quantò magis incubuerint, minusque sibi vinci, ac strigare permiserint, admirabor, & clamabo: Tantò melior surge, & respira, & clivum istum uno, si potes, spiritu exsuperas,*

Quamvis discerni possit ab homine sanæ mentis, quid sit natura *rationalis*, quidque sit *rectâ ratione esse dirigibile*,  
cui

(1) L. de casu diaboli c. 12.

(2) Ep. 120.

(3) Ep. 31.

cui scilicet conformari, & congruere debeat objectum *honestum*: adhuc optimum erit, ulterius hoc explicare. Potest homo sub multiplici respectu considerari, & pro diverso respectu possunt homini diversa bona congruere. Hinc ortum habet celebris illa *boni* divisio in *utile*, *delectabile*, & *honestum*; quæ quidem divisio indicat *Bonum*, non pro eo, quod habeat in se perfectionem *sibi uni* debitam, quod esset *bonum in se*: sed pro eo, quod sit bonum respectu alterius; ut nempe præter perfectionem suam habeat proportionem, seu congruentiam quamdam cum altero. Jam verò natura *rationalis* hominis habet etiam respectum istum, ut scilicet *rectâ ratione regi* possit. Ea igitur objecta, quæ congruunt naturæ rationali sub hoc respectu, quæque ipsa appetit tanquam ratione prædita, & a recta ratione directa, sunt objecta *honestæ*, de quibus loquimur. Explicatio hæc satis clara videtur, nequicquam reclamante Schwarzio loco supra citato, quod non possit intelligi, quid sit natura *rationalis*, & *rectâ ratione dirigibilis*.

Pari modo contra Schwarzium dico, optimè intelligi posse, quid sit actus *inhonestus*, qui scilicet sit *difformis naturæ rationali a recta ratione dirigibili*, & *directa*. Neque enim, (ut ipse proponit tanquam in nostra propositione absurdum) *incedere nudum sine ullo tegumento*, vel *in veste, quàm par est, longiore*; dici potest actus *inhonestus*, prout a nobis intelligitur: Non enim hujusmodi actus, quamvis *civili* cuidam rationi, atque *externæ* decentiæ opponatur, est naturæ rationali a recta ratione directa difformis. Recta ratio aliud quiddam est, & multo sublimius, ac civilis decentia, seu id, quod dicitur *decorum statui, gradui, vitæ civili*. Sic, si probè inspiciatur, difformitatem valdè diversam concipiet quisquam in actibus paulò antè propositis, ac in eo, quod sit, *non sublevare miseriam Pauperis, non ferre opem petenti, innocentem puerum ledere*. Hæc omnia ad rationis perfectionem pertinent, & ad finem

naturæ rationalis , ut docebat Seneca (1). *Omnis res , cùm bonum suum perfecit , laudabilis est , & ad finem naturæ suæ pervenit : homini autem suum bonum ratio est ; si hanc perfecit , laudabilis est , & finem naturæ suæ attigit . Hæc ratio perfecta Virtus est , eademque honestum est .*

Eadem prorsus ratione contra ipsum Schwarzium patet , *Mori pro Patria* , quamvis bono physico naturæ particularis oppositum , adhuc valde conforme esse cum natura rationali a recta ratione directâ , adeoque non inhonestum , sed honestissimum esse , confirmo . Ex opposita verò ratione *mentiri etiam pro bono salutis communis* erit semper actus inhonestus , utpote oppositus , & difformis rectæ rationi ; & licet bonum *utile* sit , non erit tamen *honestum* . Seneca hoc utique advertit , ubi de Viro bono honestè operante loquitur , de quo suprâ (2) .

Nec majorem habent difficultatem , quæ contrâ obiicit Puffendorfius (3) positâ pro normâ honestatis convenientiâ prædictâ ait : *vel maximè sic argumentor : Hæc actio congruit cum excellentia , & dignitate hominis : ergo est honesta , & ideo facienda . Nondum adeptus sum liquidam , & distinctam scientiam , cui mens mea firmiter queat acquiescere : sed in obscuro adhuc est , & in quonam illa excellentia consistat , & quæ causa sit , cur ea homini competat ? Si quis Sacerdoti dicat : non decet te in ganeis , & popinis volutari ; quia hoc repugnat dignitati Sacerdotis : Verum quidem dicit , sed non ideo ultimam rationem , & postquam dubio non amplius locus sit , expressit .* Hæc Puffendorfius . Verùm optimè sciri potest actionis honestas , si præ oculis habeatur , quod supra dictum est , de convenientia inter *objectum* , & *naturam rationalem* . Aliud autem est , querere , in quonam consistat *humanæ naturæ excellentia* , & cur ea actio

ho-

(1) Epist. 76.

(2) Epist. 76.

(3) De I. N. & G. l. 2. c. 3. 13.

*homini competat* : quod resolvitur in naturam ipsam rationalem *hominis*, & naturam *actionis*, de qua nequit dari ratio a priori, ut Philosophis notum est. Exemplum de *Sacerdotis dignitate* quàm malè ad naturam *intrinsecam* rerum aptatur!

Quoniam verò objecta, prout a nobis concipiuntur; non modò proprietatibus, & attributis physicis constant, sed ex moralibus aliquibus possunt ita affici, ut non eodem aspectu appareant physicis suis tantùm attributis prædita, ac moralibus affectionibus insignita: idcirco possunt objecta quædam repræsentari sub uno respectu conformia rectæ rationi, & huic difformia sub alio respectu, *utroque* autem indicante proprietates sive *physicas*, & *intrinsecas* objecti, sive *morales* & *extrinsecas*. Quare objecta erunt honesta, vel inhonesta, prout eorum attributa erunt congruentia, vel non, cum natura rationali, a recta ratione directa.

Res clara fiet exemplis. *Restituere alienum* esse objectum *honestum* conforme rectæ rationi, nemo ambigit; Jamverò rem esse *propriam*, vel *alienam*, non est physica & intrinseca rei perfectio; sed moralis, & extrinseca proprietas. Pari modo *rem esse prohibitam*, vel *præceptam lege positivâ* est merè quid extrinsecum rei ipsi; & tamen repræsentatur animæ rationali vel *ut difforme* suæ rectæ rationi, vel *ut conforme*; & variari potest ordo ad rectam rationem, prout variatur Lex positiva superioris; habetur enim semper tanquam principium rectæ rationi conforme illud: *Parendum est superiori*; vel illud: *servanda est pax, & societas cum hominibus*: vel aliud simile. Ex quibus sequitur, voluntatem unius posse pro aliquò casu esse regulam alterius, & habere vim obligandi, & inducendi moralem necessitatem. Voluntas autem hominis non movetur ad agendum, nisi mediâ cognitione, quæ exhibeat hæc omnia vel conformia, vel difformia rectæ rationi; & exinde agit vel honestè, vel inhonestè. *Reddere depositum Domino*

*mino*



*mino* esse potest actus honestus, & rectæ rationi conformis; at, si deposito gladio velit quis uti ad necem alteri inferendam, tunc illum non reddere erit actus honestus, ut patet. *Occidere hominem* est actus rectæ rationi difformis in Latrone, ac proinde inhonestus: est autem conformis rectæ rationi, & honestus in Cive, in Carnifice, aut Milite, qui vel jure suo seipsum, vel Patriam justo bello, vel Rempublicam tuentur.

Plura tamen objecta *per se* sunt omnino consentanea naturæ rationali, unde externis adjunctis nihil prorsus varietur in illis. Sic *Dei cognitio*, & *dilectio*, utpote quæ respicit *ultimum finem* naturæ rationalis, & conjungit hominem *cum illo fine*, est quid *per se*, & ratione suæ perfectionis entitativæ congruum naturæ rationali a recta ratione directæ. Sic e contrario *odium Dei*, quod directè opponitur prædicto fini ultimo naturæ rationalis, est ex intrinsicis suis actus inhonestus. Plures alii actus sunt pariformiter ex se honesti, vel quia disponunt hominem *proximè* ad se conjungendum cum fine ultimo, sic *est pœnitentia*: vel *remotè*, ut est *caritas*, & *miserericordia* respectu aliorum, *justitia* pariter, ac plures aliæ virtutes. Actus igitur in talia objecta tendentes recti dicuntur, quia per illos homo rectè tendit in finem sibi debitum. Nequeunt idcirco ab externis circumstantiis mutationem pati.

Non est tamen, quod primum locum non habeat in *regula morum* Lex æterna Dei, quæ sanè est regula potens obligare suprema, universalis, summè æstimabilis, ubique, ac semper efficax; quemadmodum notat S. Thomas (1) ubi ait: *Ipsa Dei voluntas est prima regula, qua regulantur omnes naturales voluntates*. Habet utique primum locum, sed est regula *extrinseca* respectu actuum nostrorum. Aliam habemus nos *intrinsicam* normam, quæ est natura nostra rationalis, rectè a ratione dirigibilis. Hæc utique sibi

Tom. I.

N

ipfi

(1) 2. q. 104. &amp; 1. ad 1.

ipsi debet, nihil agere, quod contra ipsam a recta ratione proponitur; & ea agere, ad quæ ipsam teneri recta ratio suadet. Hoc utique affirmat idem S. Thomas (1) his verbis: *Regula voluntatis humanæ est duplex, una propinqua, & homogena, scilicet ipsa humana ratio: alia verò est prima regula scilicet Lex æterna, quæ est quasi ratio Dei.* Scilicet, ut vidimus, humana ratio ostendit, quid ipsi naturæ rationali rectâ ratione dirigibili, (quæ est de se *intrinsicæ* moralitatis regula) conveniat.

Verum quidem est, quòd Lex æterna sit prima ante ipsam legem naturalem, & ante lumen intellectûs repræsentans voluntatem Dei ad agendum, vel non agendum juxta rectam rationem: quinimmo ex lege æternâ, prout est *ratio divini Intellectûs*, vim habet etiam lumen hoc nostri intellectûs, quemadmodum docet S. Thomas (2), *quòd autem ratio humana sit regula voluntatis humanæ, ex qua ejus bonitas mensuratur, habet ex lege æterna, quæ est ratio divina, Unde in Ps. 4. dicitur: „ Multi dicunt: quis ostendit nobis bona? Signatum est super nos lumen vultûs tui, Domine „. Quasi diceret: lumen rationis, quod in nobis est, in tantum potest nobis ostendere bona; & nostram voluntatem regulare, in quantum est lumen vultûs tui, idest a vultu tuo derivatum. Unde manifestum est, quòd multo magis dependet bonitas voluntatis humanæ a lege æterna, quàm a ratione humana: & ubi deficit humana ratio, oportet ad rationem æternam recurrere.*

Quibus verbis innuit Sanctus Doctor: I. lumen rationis ostendere nobis bona, & sic regulare nostram voluntatem: est itaque regula, in quantum ostendit convenientiam cum natura rationali, quod est bonum, aut contrâ. II. legem naturalem, prout a nobis explicatur, dependere a lege æterna Dei, regulare in præsentî voluntates nostras, & esse mensuram

(1) I. 2. q. 71. ar. 6.

(2) I. 2. q. 19. ar. 4.

furam præceptivam bonitatis voluntatis nostræ. Quod etiam afferuit (1) sic: *Jus naturale continetur primò quidem in lege æterna; secundariò verò in naturali judicatorio rationis humane.* Et infra (2) ait: *Participatio legis æternæ in naturali Creatura Lex naturalis dicitur.*

Ceterùm admitti a S. Thoma actionum honestatem ex convenientia cum *natura rationali*, patet manifestè (3) ubi ait: *Homines ex divina Providentia sortiuntur naturale judicium rationis, ut principium propriarum operationum. Naturalia autem principia ad ea ordinantur, quæ sunt naturaliter. Sunt igitur aliquæ operationes naturaliter homini convenientes, quæ sunt secundum se rectæ, & non solùm quasi lege positâ.*

Principium hoc honestatis intrinsecum *ex conformitate cum natura rationali* agnovere etiam Ethnici lumine ipso naturali. Ab uno Tullio sumamus exemplum. Hic (4) ex conformitate rei cum natura discernendum jubebat honestum & turpi: *Nos legem bonam a mala nullâ aliâ, nisi naturæ normâ, dividere possumus: nec solum jus, & injuria naturâ dijudicatur, sed omnino omnia honesta, ac turpia. Nam & communis intelligentia nobis notas res efficit, eaque in animis nostris inchoavit, ut honesta in virtute ponantur, in vitiis turpia.*

Aliqua verò contrâ obiiciuntur sanctorum Patrum testimonia, quæ indicant, a lege definiri debere vel *pravas actiones*, vel *bonas*. Sic Ambrosius (5) ait: *Quid aliud est peccatum? nisi divinæ legis transgressio, & sacræ legis transgressio mandatorum.* S. Augustinus (6) *Peccatum est dictum, factum, vel concupitum contra legem æternam: Lex*

N 2

verò

- (1) L. c. q. 71. ar. 6. ad 4.
- (2) Q. 91.
- (3) Lib. 3. contra Gent. c. 129.
- (4) L. 1. de Leg.
- (5) L. de Paradiso c. 8.
- (6) L. 22. contra Faustum c. 27.

verò aeterna est ratio Dei, vel voluntas Dei ordinem naturalem conservari jubens, perturbari vetans. Et paulò inferius: Nos verò, quorum corpus mortuum est propter peccatum . . . . . pro modulo infirmitatis nostræ secundum aeternam legem, qua naturalis ordo servatur, justè vivimus, si vivamus in fide non ficta, quæ per dilectionem operatur. Et (1) alibi: Neque peccatum erit, nisi divinitus jubeatur, ut non sit.

Verùm hæ, & aliæ hujusmodi loquutiones SS. Patrum exhibent rem, prout est nunc in præsentī Providentiā, ubi Lex naturalis, & positiva etiā datur, vetans malum, & peccatum. Idcirco optimè dicitur a SS. Patribus, peccatum esse *contra legem Dei*. Neque enim dare debebant SS. Patres omnimodam peccati definitionem, sed notas quasdam veras peccati, propter quas illud homines magis averterentur. Hic verò inquirimus, an detur in actibus humanis præter *legem Dei*, & antecedenter ad ipsam in actibus humanis *honestas*, vel *inhonestas intrinseca*, & in quonam consistat? Rem hanc expressit egregiè de more S. Thomæ (2), ubi obiicienti sibi quinto loco sic: „ *Peccatum* „ *significat malum hominis actum, ut ex dictis patet. Sed* „ *malum hominis est, contra rationem esse, ut Dionys. dicit* „ *4. cap. de divinis nominibus. Ergo potius debuit dici,* „ *quòd peccatum sit contra rationem, quàm quòd peccatum* „ *sit contra legem aeternam* „. Obiicienti, inquam, sibi hoc, non responder, negando propositionem: sed præter propter mòdo a nobis explicato, sic: *Ad quintum dicendum, quòd a Theologis consideratur peccatum præcipuè secundum quòd est offensa contra Deum: a Philosopho autem morali secundum quòd contrariatur rationi: Et ideo Augustinus convenientiùs definit peccatum ex hoc, quòd est contra legem aeternam; quàm ex hoc, quòd est contra rationem: præcipuè cum per legem*

(1) L. de peccat. mer. c. 16.

(2) I. 2. q. 71. ar. 6.

*legem æternam regulamur in multis, quæ excedunt rationem humanam, sicut in his, quæ sunt Fidei.*

Ipse tamen S. Thomas (1) ubi exponit, quid sit *Virtus*, quæ quidem seipsa est ipsa honestas actûs, sic expressè nobiscum sentire videtur: *Circa virtutem duo possumus considerare, scilicet ipsum essentiam virtutis, & id, ad quod est virtus. In essentia quidem virtutis aliquid considerari potest directè, & aliquid indirectè. Directè quidem virtus importat dispositionem quamdam alicujus convenienter se habentis secundum modum suæ naturæ. Unde Philosophus dicit in 7. Phisic., Quodd virtus est dispositio perfecti ad optimum. Dico autem perfecti, quod est dispositum secundum naturam. Ex consequenti autem sequitur, quodd virtus sit bonitas quædam: in hoc enim consistit uniuscujusque rei bonitas, quodd convenienter se habet secundum modum suæ naturæ. Ubi adnotare liceat verba illa convenientiæ, quæ mirum quantum sententiam nostram confirmant.*

Sed quid de hac intrinseca honestate Heterodoxi sentiunt? In scenam prodeat impium, execrandumque humani generis binarium, Hobbes, & Spinoza.

II. Thomas Hobbes natus Malmesburii in Anglia an. 1588. princeps materialistarum in suo libro *Leviathan*, seu de Republica, & in lib. *De Cive* totius Honestatis, ac Juris naturalis principia ad æternam orbis perniciem exposuit. In duplici homines statu considerandos sumit: quorum alter est *Juris naturalis*, alter est *statûs Civitatis*. In primo statu Juris scilicet naturalis non alium esse homini finem datum, nisi vitam suam conservare, proque ea servanda nil non homini licitum, & justum. En quo pacto hæc omnia explicat (2) *Juris naturæ primum, ut quisque vitam, & membra sua, quantum potest, tueatur, Et §. 8. confirmat: Jus esse cuique omnibus utendi mediis, & agendi quilibet,*  
*sine*

(1) L. cit. ar. 1.

(2) Lib. de Cive tit. 1. c. 1. §. 7. in fin.

*sine quo conservare se non potest*. Et §. 9. *Ejusque rei quisque etiam naturaliter iudex esse videtur, ut ille postulat*. Quare subdit §. 10. *Jure naturæ unicuique competere jus in omnia*. Et ibid. *In statu naturæ mensuram Juris esse utilitatem*. Et §. 14. *Ea, quæ quis fecerit in statu naturali, non posse dici alicui injuriosa*; quippe quòd nulli in alium jus, nisi ex abdicatione suæ voluntatis, competat.

Statum hunc appellet Hobbesius statum *libertatis*, in quo *facultas* naturalis viget, quæ est ipsi verum, ac proprium *Jus naturale*. Ac proinde (1) ait: *Leges naturæ nullas esse pro statu naturali*. Unde sequitur ex ipso, *Jus Potentium* præstare; & idcirco, quia in statu naturali nemo iudex alterius esse potest, (positâ æqualitate omnium in ejus sententia) *bello* agant, suoque arbitrio in infinitum, quoad per vires liceat, utantur.

Alter hominum status est *Civitatis*. In hoc statu, ait, ortas esse leges, quando nimirum homines in *Civitatem* coeuntes pacto leges sanxerunt. In hoc statu cæpisse leges mali, & boni, per quas honesta, & turpia distingui, factum est; *honestum* enim, & *turpe* ante civitatem nullum est. Hæc omnia habet expressè pluribus in locis (2). Inquirat etiam causam consociationis inter homines (3), eamque non a desiderio quodam naturali societatis, sed *a mutuo metu* ad evadendum mala repetit: item *a studio utilitatis* præ aliis captandæ; dum ob æmulationem inter pares, & earundem rerum appetitum, cujusque libidini, & potentia quisque pateat. Quare pro firmo, ac certo principio sumit: *Hominem non esse sociabilem*. Cohærenter ad sua ipsius principia statuit (4): *Regulas boni, malive esse merè civiles*. Et idcirco (5) asserit: *quid sit furtum,*  
bo-

(1) c. 4. §. 2.

(2) C. 3. §. 27. &amp; 34. &amp; c. 14. §. 3.

(3) C. 1. §. 2.

(4) C. 12. §. 1. &amp; c. 14. §. 1.

(5) C. 6. §. 16.

*homicidium, adulterium, & injuria, id ex legibus civilibus cognosci; nec aliter esse talia, nisi per has declarentur. Quare subdit (1): Si Lex civilis jubeat invadere aliorum bona, vel uxores, id non fore furtum, vel adulterium. Concludit tanquam generale consecrarium (2): Ergo peccatum propriè dictum non est, nisi legis civilis transgressio: reliqua contra rectam rationem sunt tantùm facta imprudentia. Quod sanè consecrarium totam suam de Jure naturali, ac de honestatis principio doctrinam claudit. Idcirco in Leviathane (3) ait: Si quis bona, servos, uxorem videns proximi sui, frui illis cum delectatione imaginatus tantùm fuerit, absque omni intentione, vel consilio per fraudem, aut vim ea occupandi, peccatum non est, neque præcepti non concupisces violatio. Nam jucundi etiam imaginatione delectari ita homini naturale est, ut Lex, quæ id prohiberet, etiam hominem esse prohiberet. Proh! Iutulentas sordidissimi hominis propositiones! quas Richardus Cumberlandus angulus præ ceteris refutavit (4). Quoniam verò Jus naturale ab Hobbesio suprâ constitutum amplissimam exhibebat agendi quodlibet potestatem, voluit legis etiam civilis limites definire. Docuit idcirco (5) *Impossibile esse, ut lex civilis naturali repugnet*. Unde lex civilis nequit contra statuta a se honestatis, ac juris naturalis principia aliquid præcipere.*

Hæc sunt perniciofa stultissimi hominis principia de honestate, ac de jure naturæ. Sed ad alium ejusdem furfuris damnatum hominem *Benedictum Spinosu* sermonem convertamus, & de utroque judicabimus unâ, eademque ratione.

Be-

(1) C. 14. §. 9.

(2) §. 16.

(3) Cap. 27.

(4) In Tract. phil. leg. nat.

(5) C. 14. §. 10.

Benedictus Spinoza Judæus origine, deinde Christianus, postea Atheus, ortus Amstelodami an. 1632. in suo *tractatu theologico-politico*, & in altero libro *Ethices*, Moralitatis principia, & Juris naturæ legem exposuit. Docuit itaque, tanquam generale principium (1) sic: *Hoc principium: quod unusquisque suum utile quærere tenetur, Virtutis, & Pietatis est fundamentum*. Simillimum principio illius epicurei (2) *Sola est utilitas Justii propè mater, & Æqui*. Et juxta vetus apud epicureos ipsos acceptum adagium: *Omne juvans statuit Jupiter esse pium*. Juxta hoc utique principium ad alia æquè enormia prolabitur (3): *Jus naturale uniuscujusque hominis non sanâ ratione, sed cupiditate, & potentiâ determinatur*. Et paulò post rem hanc explicat ulterius: *Quidquid itaque unusquisque, qui sub solo naturæ imperio consideratur, sibi utile vel ductu sanæ rationis, vel affectuum impetu judicat; id summo naturæ impetu appetere, & quacunquè ratione, sive vi, sive dolo, sive precibus, sive quocunque demum modo faciliùs poterit, ipsi cæpere licet: & consequenter pro hoste habere eum, qui impedire vult, quominus animum expleat suum*. Est igitur Spinosæ principium Juris naturæ, uti validiore jure fundato in coactione, vel deceptione, nullo habito respectu ad pacta, aut ad aliam quamlibet obligationem.

Omitto hic explicare horrendas, quas evomit e spurco ore blasphemias (4): *Nihil, nisi torva, & tristis superstitio delectari prohibet. Nam quæ magis decet famem, & sitim extinguere, quàm melancholiam expellere? Mea hæc est ratio, & sic animum induxi meum. Nullum Numen, nec alius nisi invidus, meâ impotentiâ, & incommodo delectatur, nec nobis lacrimas, singultum, metum, & alia bu-*  
*jusmo-*

(1) In sua *Ethica* part. 4. pr. 18. in Schol.

(2) Hor. l. 1. Satyr. 3.

(3) In tract. c. 16.

(4) In schol. prop. 45.



*iusmodi, quæ Animi impotentis sunt signa, virtuti ducit; sed contrâ, quod majore lætitiâ afficiuntur, ed ad majorem perfectionem (nota bene) transimus, hoc est eo magis de Natura divina participare necesse est. Rebus itaque uti, & iis, quando fieri potest, delectari (non quidem ad nauseam usque: nam hoc delectari non est) Viri est sapientis... Hoc itaque vivendi institutum & cum nostris principiis, & cum communi praxi optimè convenit: quare si qua alia, hæc vivendi ratio optima est, & omnibus modis commendanda. Nimirum rebus uti, & iis delectari non ad nauseam, hoc sanè est Viri Sapientis, hæc est optima ratio vivendi, hæc est maxima perfectio penes Spinosam, epicuri de grege porcum. Hujusmodi autem perfectioni, subscribunt etiam alii J. N. Scriptores, ut infra videbimus.*

Expositis jam Hobbesii, ac Spinosæ hac super re deliriis citius, quàm sententiis, colligere licet cum Lynckero, lutherano quamvis homine (1): *Uterque Hobbesius, & Spinoza profana, & famosa nomina in his conveniunt: videlicet, uterque in Jure naturæ Deum seponit, uterque vires naturales attendit: uterque nullum Jus, Fasque primævum agnoscit: neuter in ullo statu honestum quid, aut turpe, quod per se tale sit, neuter conscientiam novit. Et cum Hubero, lutherano item ipso (2): Est plane illud caput Hobbesianæ, ac Spinosificæ philosophiæ, quod Brennus olim apud Plutarchum in vita Camilli: „Vetustissimam legem naturæ esse, ut validior plus, quàm imbecillior habeat,,. Vel quod idem apud Livium l. 5. „Omnia esse virorum,, fortium,,. Et apud Thucydidem Athenienses ad Melios,,: legem ex necessitate naturæ esse, imperare iis, quibus possis,,.*

Pari deformitate principiorum scætet perniciosus ille Helvetii liber *De spiritu*; alius quoque, qui *Naturæ siste-*

Tom. I.

○

ma

(1) Comment. ad Huberum l. 1. c. 3. fin.

(2) L. 1. c. 3. §. 20.

ma inscribitur, atque alter, cui titulus *Christianismus detectus*; contra quos nonnulli sanæ doctrinæ studiosi Auctores operam contulere in *Epistolis Criticis*, in *Religione vindicata*, aliisque hujusmodi commendatione dignissimis lucubrationibus. Quoniam verò recentiores isti auctores, qui gloriam ex deismo, epicureismo, materialismo aucupari malunt, nihil reipsâ novi, quod a veteribus epicureis, ac materialistis, & porissimum ab Hobbes, & Spinoza dictum non sit, proferunt: sed ad ciendum stomachum, seu citius ad excitandam bilem nonnisi recoctam crambem exhibent: idcirco, impugnatâ & sapientum auctoritate, & ratione Prædecessorum principiis, horum quoque gregalium Affectuum pestifera dogmata corruere, necesse est.

Jam ad dignoscendam hujusmodi principiorum enormitatem nil opus est ad sacras litteras, sanctorumque Patrum traditionem confugere. Sanè si Principium moralis honestatis ex sola utilitate, & commodo, alioque hujus generis vilissimo, turpissimoque fonte esset hauriendum: ruerent eo ipso præcepta omnia de reddenda re aliena, si hæc fuerit alteri utilis, contra ac præcipitur in sacris litteris (1). Rursus si totum, quod necessarium est ad vitæ, ac membrorum conservationem, honestum esset: sequeretur contra divinas scripturas, honestam rem perpetrâsse Amnonem cum sorore sua Thamar (2) *quia propter amorem ejus agrotabat. . . Attenuabatur mucie per singulos dies*. Et non recta docuisse sanctos Patres unanimes consensu, quorum non expedit hic sententias proferre. Unus satis sit Augustinus (3). *Præstat in multis Deo dilecto emori, quàm contempto vivere*. Et alibi (4): *Omnia corporalia mala pro fide pietatis,*

(1) Deuteronomii 22. Exodi 23. Thob. c. 2.

(2) L. 2. Reg. c. 13.

(3) In tract. 51. in Jo.

(4) Lib. 10. de Civ. c. 32.

tis, & commendatione veritatis esse toleranda. Et (1) dixerat ibidem: nec ipsam mortem peccato esse vitandam; sed potius, si facultas datur, pro Justitia perferendam.

Hæc autem dixi non ad Hobbesianos, ac Spinosistas, aliosque hujusmodi damnatorum Auctorum, si qui sunt, affectas convincendos, sed ad firmissimam conciliandam lumini naturali fidem, ex quo eorum iniquissima dogmata refelluntur, ut mox dicam.

Profectò sic existimo:,, Eorum principia de honestate  
,, morali Ethnicorum Philosophorum sententiis a ratione na-  
,, turali petitis improbari; rursus apertissimas claudere con-  
,, traditiones; & ruinam humanæ societatis trahere,, Tria hæc juvat bono in lumine collocare.

Et primò quidem habemus apud Tullium (2) collectas in unum, ut ipse asserit, celeberrimorum Virorum sententias videlicet, Speusippi, Xenocratis, Polemonis, Aristotelis, Theophrasti, Zenonis, & Aristonis; relictis dumtaxat Epicureis in hortulis suis: ex quorum omnium sententia sic ipse Tullius ratiocinatur: *Qui non ipso honesto move-  
mur, ut boni Viri simus, sed utilitate aliqua, atque fru-  
ctu, callidi simus, non boni. Nam quid faciet is homo in  
tenebris, qui nihil timet, nisi testem, & judicem! Quid  
in deserto loco nactus, quem multo auro spoliare possit, im-  
becillum, atque solum? ... is, qui metiatur suis commodis  
omnia, videtis, credo, quid sit acturus? Quod si negabit,  
se illi vitam erepturum, & aurum ablatum ... ob eam  
causam negabit ... quod metuat, ne emanet, idest ne ma-  
lum habeat. O rem dignam, in qua non modò docti, ve-  
rùm etiam agrestes erubescant! Utinam & qui utilitate  
metiuntur omnia, ab ethaicis edocti Christiani homines cru-  
bescerent!*

O 2

Dein-

(1) Eodem lib. c. 24.

(2) L. 1. de Leg.

Deinde subdit Tullius : *Si , ut iidem dicunt , utilitate omnia metienda sunt , negliget leges , easque perrumpet , si poterit , is , qui sibi eam rem fructuosam putabit fore . Ita fit , ut nulla sit omnino Justitia , si neque naturá est , & ea , quæ propter utilitatem constituitur , utilitate aliá corvelligitur . Atqui si naturá confirmatum jus non erit , virtutes omnes tolluntur . Ubi enim liberalitas ? Ubi Patriæ caritas ? ubi Pietas ? ubi aut benemerendi de altero , aut referendæ gratiæ Voluntas poterit existere ? Nam hæc nascuntur ex eo , quòd naturá propensi sumus ad diligendos homines , quòd fundamentum juris est . Neque solùm in homines obsequia , sed etiam in Deos ceremoniæ , religionesque tolluntur . . . Quòd si Populorum jussis , si Principum decretis , si sententiis Judicum jura constituerentur , jus esset latrocinari , jus adulterare , jus testamenta falsa supponere , si hæc suffragiis , aut scitis multitudinis probarentur .*

Hæc autem , quæ de utilitatis principio , ( iniquo certè moralis honestatis principio ) ex hominibus solo rationis naturalis ductu loquentibus hæctenus diximus ; proferri utique debent contra Heterodoxos plures , contra Wolfium , ejusque recentiores alumnos , qui eidem , aliove hujus generis pessimo principio subscribunt .

Ut deinde observemus , quomodo ex uno eodemque dogmate hobbesiano , vel spinosifico in oppositas partes ducantur homines , adeoque unum idemque jus naturale , unum idemque moralitatis principium contradictiones claudat : sicut duo simul homines , quorum alter ex *affectuum impetu* juxta Spinosam , *vel ex naturali cupiditate* juxta Hobbesium , ( quæ sunt ex suo jure naturali licita , honesta , justa ) conatur eripere alteri vitam , vel bona ; Alter in hoc casu ex suo jure naturali conatur illi resistere , & contra invasorem se defendere . Uter in hoc casu , ubi oppositum pro virili cupiunt , ac agere intendunt ; uter , inquam , honestè aget ? Uter licitè ? Uter justè ? Ex eorum principiis uterque . Fit ergo ,

ergo , ut ad contradictoria ducat principium , quod in seipso contradictorium est , ac proinde nullum .

Tandem nullâ hominum societas stabit , quin & nemo erit tutus , & unusquisque contra naturæ Providentiæ infinitis patebit aliorum incurfibus , unde & miserrimam vitam omnibus agere , necesse foret . Siquidem cuicumque homini licitum esset ex suo jure naturali , atque adeo honestum , spoliare Proximum bonis , & vitâ ipsa , si posset , & luberet : quinimo pari jure , & honestate perdere posset omnes , qui ejus voluntati , potestatique resisterent . Jam alter eodem jure naturali idem patrabit ; atque alius poterit idem agere . Atque ita Mundus totus fusdeque vertetur , ruet societas humana , nemo vivet tutus , omnes miserrimi erimus : quod humanæ rationi non præjudicatæ omnino repugnat .

Et fanè advertit Hobbes horrenda confectaria , & advertit etiam Spinosa (1) , (2) & ex jure naturali tantùm abest , ut a statutis principiis recedant , ut potiùs confirmet . Statuit enim uterque , quòd *siquis alicui noceat , quocum nihil pactus est , sed ex suo jure naturali ; damnum ei infert , non injuriam . Etenim si is , qui damnum recipit , injuriam exposcularet ; is , qui fecit , sic diceret : „ Quid tu mihi ? „ Quare facerem ego potiùs tuo lubitu , quàm meo „ ? In qua oratione , ubi nulla intercesserunt pacta , non video , quid sit , quod possit reprehendi . Hæc prædicti non homines , sed hominum hostes . Sanè si vobis non est verâ , solidâque reprehensione dignum , pro lubitu unumquemque agere suo contra vitam , & bona aliorum , ante pacta , & conventiones : quî mihi persuaderitis , verè esse reprehendendos illos , qui pacta non servaverint , & conventionibus minimè steterint ? Pacta quidem civili jure , vobis auctoribus , obligant ; & vobis item auctoribus Lex civilis nihil , quod*

(1) Hob. in l. de Cive c. 1. §. 10. & c. 3. §. 4.

(2) Spia. c. 16.

quod juri naturali vim facit, potest præcipere. Quid ad hæc Spinosa, & Hobbes? En Spinosæ verba l. c. *Pactum nullam vim habere potest, nisi ratione utilitatis: quâ sublata, pactum simul tollitur, & irritum manet; ac propterea stultè alterius fidem in æternum sibi aliquem exposulare, si simul non conatur efficere, ut ex ruptione pacti inveniendi plus damni, quàm utilitatis ruptorem sequatur.* Hobbes (1) spes unicuique securitatis, conservationisque suæ in eo sita est, ut viribus, artibusque propriis Proximum suum vel palam, vel ex insidiis præoccupare possit. Ergo nihil omnino efficient ad frænandum violentum aliorum animum quæcunque excogitata in eorum principiis remedia.

Neque verò, siquæ exhibeantur leges civiles, quibus facinora vetantur, aliquid proficient. Siquidem in primis, si, ut vult Hobbes (2) *Regulæ boni, & mali, justi & injusti, honesti & inhonesti sunt ipsæ leges civiles*: sequitur, quòd, si leges civiles jubeant, furtum, vel adulterium esse honesta; erunt talia proculdubio. Hoc utique concedit effrons Hobbes: *Si Lex Civilis jubet invadere aliorum bona, & uxores, non erit furtum, vel adulterium.* Quod sanè detestabatur lumine ductus naturali Tullius (3) *Jamverò stultissimum illud, existimare omnia justa esse, quæ scita sint in Populorum insititatis, aut legibus...* *Si omnes Athenienses delectarentur tyrannicis legibus: Num idcirco hæc leges justæ haberentur?* Deinde quæri posset, pro condendis legibus hisce civilibus, quænam erit regula, quænam ratio? Dicet planè, non esse solum *arbitrium, & voluntatem*: Etenim nemo velit juri suo naturali cedere, ut ad alterius placitum actus suos moderetur. Dicet itaque, *utilitatem* esse debere fundamentum legum civilium. Atqui quod utile est uni, detrimento est alteri. Erit igitur ille obser-

(1) De Cive c. 6. sect. 1.

(2) De Cive c. 2.

(3) L. 1. de Leg.

observator legum, quæ sint sibi utiles; iste legum contemptor, quæ sibi noxiæ sint.

Sed timor pœnæ continere potest Improbos in officio, ut servant pacta, & conventiones? Ergo, ubi nullus erit timor pœnæ, violari possent etiam pacta, & conventiones sine ulla culpa; & adhiberi fraudes, doli, proditiones. Concedit hoc uterque, ut suprâ vidimus. Ergo ad securè vivendum, nulla erit via melior *anticipatione*; nempe ut unusquisque vi, & dolo ceteros omnes tamdiu subicere sibi conetur, quamdiu alios esse, a quibus cavendum sibi sit, viderit. Hæc est legitima illatio ex illorum præmissis, & conceditur adeo ab Hobbessio, ut totum hoc includi videatur in lege naturali conservandi seipsum. Sic habet (1): *Neque hoc majus est, quàm & conservatio sua postulat, & ab omnibus concedi solet.*

Neque, quod inde sequitur consecrarium, exhorrent, videlicet orbem totum turbatum iri, & hominum societates ferarum congressibus pejores fore? Concedunt hæc omnia facili negotio. Idcirco statuit Hobbes (2) ex jure naturæ: *Omniū adversus omnes perpetuæ suspiciones, bellum omnium in omnes.* Et quamvis ad avertendam nimiam suo systemati invidiam statuatur (3) *Prima, & fundamentalis Lex naturæ est: querendam esse pacem.* Statim subdit: *ubi haberi potest.* Novit enim propositionis hujus cum cæteris suis J. N. principiis contradictionem. Si enim est de J. N. bellum in omnes: quomodo esse potest de J. N. studium pacis? Hæc de hominum moribus humanitatis oseres pronuntiare quondam ausi sunt. Post hæc explicata Hobbessii, & Spinossæ enormia dogmata, quis ferre pacato animo potest Voltairium delirantem in hæc verba: *Nihil est, quod ab his, aliisque Philosophis, (ut puta Bayle, Tolland,*

(1) In Leviath. l. 1. c.

(2) De Cive c. 1. §. 12.

(3) L. de Cive c. 11.

do, Beckero, Collins) detrimenti aliquid timeat Religio (1)?

III. Christianus Wolfius, magnum inter Mathematicos, ac Philosophos nomen, ab an. 1740. *Jus naturæ methodo scientificâ pertractatum* complexus est partibus octo, addiditque deinde nonam partem pro *Jure Gentium*. Antea ediderat *Juris naturæ*, ac *Gentium* brevem veluti epitomen, quam *Philosophiam practicam universalem* appellavit; ubi asserit, proposuisse se theoriam actionum humanarum committendarum, omnisque juris, ac obligationum omnium principia a priori demonstrata geometricâ methodo. Hujus suæ Philosophiæ partes esse agnoscit *Jus naturæ, ac Gentium, Ethicam, Æconomicam, Politicam*. Qui Auctoris hujus libros de *Jure naturæ*, vel *Philosophiæ practicæ* sedulo, ac citra partium præjudicia evolvit, fatebitur proculdubio, methodo illâ geometricâ, multo, ac par est, longiorem fieri, tædioque nimio plenam tractationem, & implexam adeo, tegendisque erroribus opportunam, ut hi dignosci difficillimè queant. Wolfii systema de honestatis Principio quid sit, paucis exponam.

Actionum *liberarum* Bonitas sita est in eo, ut habeant eundem finem, ac habent actiones naturales. Finis autem actionum *naturalium* ut puta in *Organis corporis*, est conservatio vitæ: *bonæ* ergo erunt actiones *liberæ*, si in organis corporis, & facultatibus animæ idem habeatur finis. *Malæ* erunt, si non habeatur idem finis in prædictis rebus.

*Lex naturæ* ex Wolfio præcipit, ut animam, & corpus *perficiamus*. Perfectio autem hæc sita est ex Wolfio respectu animæ in acquisitione plurimarum cognitionum, & in *usu*, qui fieri potest, *frequentiore* facultatum ipsius. Et respectu corporis in integritate conservanda membrorum, in vitanda qualibet molestia, in acquirenda quacunque commoditate. Audire autem præstat hoc ex verbis Wolfii ipsius.

*Actio-*

(1) Ap. Nonn. to. 2.



*Actiones liberae bonae per easdem rationes finales determinantur, per quas determinantur naturales. Mala autem per diversas.* §. 49. Rationes autem finales actionum naturalium sunt Fines a Deo intenti pro actionibus naturalibus - §. 46.

Progreditur ulterius ad explicandos hosce fines.

*Usus facultatum Animae, & organorum corporis, quemadmodum & usus rerum naturalium omnium sunt fines a Deo intenti.* §. 45.

Dat ulteriorem usum ipsius notionem.

*Sensus hunc habent usum, ut eorum, quae sunt, ac fiunt in Universo, cognitionem acquiramus.* §. 45.

De huiusmodi autem cognitione sic opinatur.

*Cognitio, quam acquirere possumus sensu duce, experimentalis est, & pro diversitate objectorum, ac sensationum vel dolorifera corpori, vel voluptuosa.* §. 14. & 15.

Usus verò omnium sensuum dirigi debet ad vitae conservationem.

*Organa vitalia simul sumpta hunc habent usum, ut eorum functionibus vita conservetur.* §. 45.

Duo itaque sunt fines sensuum corporis, alter est cognitio experimentalis vel dolorifera, vel voluptuosa, quam possumus acquirere: alter est conservatio Vitae. Et gemini isti fines sunt fines etiam a Deo intenti.

*Cognitio eorum, quae sunt, ac fiunt in Universo, sibi acquirenda, & conservatio corporis sunt fines, quos Deus intendit, dum hominem produxit, cui insunt sensus, & organa sensoria, atque vitalia, ac ideo dicendus est dedisse animae facultatem sentiendi, corpusque instruxisse organis sensoriiis, ac vitalibus, ut homo eorum, quae sunt, ac fiunt in Universo, hoc est cognitionem rerum creaturarum historicam acquirere, vitamque suam conservare valeret.* §. 46.

Concludit idcirco, bonitatem actionum liberarum consistere in duplici illo fine, quò tendant, videlicet in usu

facultatum animæ , & sensuum corporis , directo ad vitæ conservationem . *Mulitiam* verò in fine diverso .

*Actiones liberae bonæ sunt , si determinantur per hos fines , seu per usum facultatum animæ , vel sensuum corporis , tendentium ad conservationem vitæ . Si verò determinantur per diversus , malæ sunt .* §. 49. 55.

Regulam honestatis , vel malitiæ Wolfianam mihi videor exposuisse clarissimè ; & quæ in tot articulis dispersa caliginem menti legentium offundit , hic unico obtutu paucissimis exposita sententiis turpitudinem suam nequit obtegere .

De lege autem naturæ ex eodem auctore pauca etiam subdam , ut ipsius mens plenè dignoscatur , ex iis , quæ tradit in opere magno Juris naturæ parte prima .

Ait , teneri nos ad servandam naturæ legem in iis , quæ præcipit circa animam , & corpus nostrum .

*Tenemur facere facultatum nostrarum usum , qui ad servandam legem naturæ requiritur . Lex verò naturæ præcipit , ut animam , & corpus nostrum perficiamus . Tenemur autem cognoscere perfectiones animæ , & corporis .* §. 172.

Quid autem est penes Wolfium perfectio animæ , & corporis ? Sanè perfectio animæ , seu facultatum ejus consistit in habitu utendi iis .

*Facultates animæ perficiuntur , acquirendo habitus iisdem utendi .* §. 209.

Habitus autem acquiruntur ex frequentiore usu actuum .

*Quo plures actus alicujus Facultatis elici possunt , & quod promptius , eò major est perfectio .* §. 209.

Tenetur itaque homo ad frequentandos actus indiscriminatim , dummodo sint possibiles , ut acquirat facultatum suarum perfectionem ex lege naturæ .

*Obligatur homo ad distinctam rerum sibi cognitu possibilitatem cognitionem acquirendam . Et idcirco omnem facere debemus facultatum nostrarum usum , quem habere possunt .* id.

Per-

Perfectio verò corporis , seu organorum ipsius , sive quæ *vitalia* sunt , sive quæ *sensoria* ( sic enim ea distinguit ) in conservatione sui respectiva consistit .

*Perfectio corporis , quæ vivi , consistit in aptitudine se conservandi , & speciem suam propagandi . Atque hæc perfectio est essentialis corpori . §. 317.*

Quare subdit ex lege naturæ: *Requiri idcirco integritatem organorum singulorum vitalium . §. 317.*

De perfectione organorum sensoriorum pari modo ratiocinatur ; ex illorum usu producuntur ideæ rerum sensibilium , ut ex Philosophia constat . Perfectio itaque ipsorum est eorum aptitudo ad acquirendas rerum sensibilium ideas .

*Perfectio corporis , quæ sentientis , consistit in aptitudine ideas rerum sensibilium materiales producendi ; quæ sanè est illi essentialis . Requirit propterea integritatem singulorum organorum sensoriorum . §. 317.*

Inde sequitur , legem naturæ quoad animam , & corpus , adimpleri , si acquiratur perfectio animæ , & corporis : scilicet si fiat usus quicumque possibilis facultatum animæ , ut acquiri possit habitus : & corpus sit aptum se conservandi , & speciem suam propagandi ; & rursus sit aptum producendi ideas rerum materialium sensibiles .

*Lex naturæ præcipit , ut animam , & corpus nostrum perficiamus . §. 172.*

*Tenemur cognoscere perfectiones animæ , & corporis . Ib.*

*Perfectio hominis consistit in perfectione animæ , & corporis . §. 340.*

De hujusmodi autem perfectione jam ejus dogmata audivimus . Confectaria autem hujus perfectionis accipiamus ab ipso .

*Quamdiu corpus sanum est , perfectio ejus subsistit . §. 391.*

Ut autem ex lege naturæ servetur hæc perfectio , requiritur a Wolfio :

*Ut homo sanitatem suam conservare debeat, seu obligetur ad eas actiones committendas, quæ ad sanitatem conservandam tendunt; eas verò ovittendas, quæ eidem adversantur.*

Totum hoc autem ex rigorosa legis naturæ obligatione, unde non modò bonitas actionis pendet, sed & perfectio ejusdem. Sed hoc ipsum parùm Wolfio videtur, ut ex lege naturæ acquiri possit perfectio, sed ulterius subdit:

*Operam dare tenemur, ut omnem molestiam, quantumlibet exiguam evitemus §. 451.*

Sed & hoc ipsum nec satis est ex lege naturæ Wolfiana; ast etiam:

*Homo obligatur ad vitam commodè transigendam.*

In quibus verbis videtur Wolfius satis se expressisse circa curam non vulgarem corporis, & quidem ex lege naturæ: unde reprehendendus sit potiùs Epicureus ille, qui ajebat: *In cute curanda æquo plus studiosa Juventus*. Verùm quis credat? ad alia etiam particularia de hac re descendit epicureismi fautor Wolfius.

*Homo obligatur ad vitam jucundè transigendam. §. 471.*

Sanè plus est jucundè vivere, quàm commodè vivere. Sed quo modo?

*Homo obligatur ad pulchritudinem naturalem conservandam, & ad ea, quæ faciunt ad pulchritudinem naturalem conservandam. Imò ad pulchritudinem artificialem non negligendam, & ad ea, quæ ad pulchritudinem artificialem faciunt. ib.*

En quò tandem prolapsa est famosa illa Wolfiana *hominis perfectio*, ad quam lege naturæ tenemur; quæ actiones liberas honestas reddit; unde virtutes, ac vitia, seu habitus morales boni, & pravi (ut ipse denotat §. 277.) sunt distinguendi.

Quid autem de explicatis hisce Wolfianis honestatis, & legis naturalis principiis dici debet?

Hoc

Hoc profectò afferendum est apertissimè: „ Principia  
 „ hujusmodi Wolfiana tum circa honestatis regulam, tum  
 „ circa legem naturalem esse satis absurda „ .

De honestatis regulà, quæ huc resolvitur: „ Usus  
 „ facultatum animæ, & organorum corporis tendentium  
 „ ad conservationem vitæ, est finis intentus a Deo, red-  
 „ dens honestam actionem liberam hominis „: satis ex se  
 ipsa absurditatem prodire, manifestum est. Siquidem intra  
 prædictæ regulæ fines, quàm multa sunt verè inhonesta, quæ  
 claudantur: illo dumtaxat excluso, quod ad conservatio-  
 nem vitæ non faciat! Sanè & Epicurei ipsi, qui Philoso-  
 phorum ethnicorum testimonio pravè adeò de honestate sen-  
 serunt, voluptatibus indulgendum ajebant, modò vitæ,  
 ac salutis ratio detrimentum non pateretur; atque ita vo-  
 luptati favere etiam magis putabant. De eorum doctrina  
 sic Augustinus (1) *Temperantiæ jubet, ut tantum capiat ali-  
 mentorum, & si qua delectant, ne per immoderationem no-  
 xium aliquid valetudinem turbet: & voluptas, quam etiam  
 in corporis sanitate Epicurei maximam ponunt, graviter of-  
 fendatur.*

Deinde quot usus sive facultatum animi, sive mem-  
 brorum corporis esse possunt legi divinæ nimium difformes?  
 Poterit ne ergo usus quilibet indefinitè, qui faciat ad con-  
 servationem vitæ, esse absolutè honestus? Profectò Amnon  
 honestam rem gessisset in illo usu, ceteroquin detestabili  
 corporis sui ad vitæ conservationem. Usus itaque membro-  
 rum corporis, & facultatum animi, ut sit honestus, debet  
 alteri regulæ aptari, quàm conservationi vitæ tantum-  
 modo.

Hoc adverterunt lumine naturali etiam Ethnici. Se-  
 neca longè aliter ac Christianus Wolfius de cura corporis  
 loquebatur: *Honestum ei vile est, cui corpus carum est* (2)

Ubi

(1) L. 5. de Civ. c. 20.

(2) Ep. 14.

Ubi patet, quàm dispar ratio ipsi sit honestatis a conservatio-  
 ne corporis. Et subdit: *Agatur ejus ( corporis ) diligentissimè  
 cura: ita tamen, ut, cùm exiget ratio, cùm dignitas, cùm fides,  
 mittendum in ignem sit.* Non ergo honestas in conservatio-  
 ne vitæ reponenda est. Consonat etiam Scriptura, ubi im-  
 proborum hominum sententias exponit (1): *Venite ergo,  
 & fruamur bonis, quæ sunt, & utamur Creaturâ tanquam  
 in juventute celeriter: Vino pretioso, & unguentis nos im-  
 pleamus, & non prætereant nos flos temporis: Coronemus nos  
 rosis, antequam marcescant: nullum pratum sit, quod non  
 pertranseat luxuria nostra: nemo nostrum exors sit luxuriæ  
 nostræ; ubique relinquamus signa lætitiæ.* Qui sanè omnes  
 Wolfio præceptore sunt usus, ( & fieri possunt ad conser-  
 vandam vitam, pro qua facit ex ipso Auctore commoditas,  
 & jucunditas ) facultatum animi, & sensuum corporis.  
 Sunt ergo sub tanto Magistro actus illi honesti, & boni. *Quis  
 non videat, quis non exhorreat; quanta turpitude, & quàm  
 nefaria consequatur!* Sic utique exclamaret Augustinus,  
 quemadmodum (2) olim scribebat contra Manichæos.

Pessimè etiam statuit Wolfius, illum eundem esse fi-  
 nem a Deo intentum in usu prædicto, videlicet *conserva-  
 tionem vitæ.* Non essent itaque reprehensione digni a Deo,  
 qui naturæ motibus obsecundantes, ut vitam commodè,  
 ac jucundè transigerent, Dei voluntati non obedirent.  
 Deus enim contraria nequit imperare: si ergo finis a Deo  
 intentus in creando homine, fuit usus facultatum animæ,  
 & sensuum corporis ad ejus vitam conservandam, commo-  
 dè, & jucundè transigendam: nequit ipse simul præcipere,  
 ut animi motibus resistat, & impediatur usum aliquem sive  
 facultatum animi, sive sensuum corporis, quo possit jucun-  
 dè vivere. At e divinis Scripturis oppositum evincitur.

Quòd si principium honestatis Wolfianum absurdum  
 adeo est, ut epicureismum sapiat: multò erit absurdior  
 legis

(1) Sap. c. 2.

(2) Lib. de Natura boni.

legis naturalis notio , quæ in perficiendo homine constituitur . *Perfectio* enim Wolfiana sita est in habitu comparato ex frequentatis actibus usûs jam explicati facultatum animi , & sensuum corporis modo dicto . Clarè igitur patet , si malè audit principium honestatis repositum in simplici usu prædicto ; pessimè audire legem naturæ in habitu ex iteratis usibus acquisito .

Sunt enimvero adeo enormia Wolfiana hæc præcepta , ut aliquando veritus sim , ne Wolfius in suis hisce præceptis tradidisse voluerit non quidem regulas honesti , & boni moralis , sed boni tantùm naturalis ad meram vitæ conservationem . Verùm ex verbis Wolfii ipsius constat , voluisse tradere principia spectantia ad morum rectitudinem . Patet ex titulo præfixo suæ *Philosophiæ practicæ universali* , ubi expressè mentem suam aperit sic : *Theoria actionum humanarum committendarum , omnisque juris , ac obligationum omnium principia* . Patet etiam ex Præfatione operi præposita Marbugi Cattorum 1738. ubi spondet , se in eo opere daturum : *Doctrinam enucleatam , iis profuturam , qui aliorum conscientia præsumunt , præsertim ubi praxis accesserit* . Et principium suum appellat *Fecundissimum in Philosophia practica principium* : cui innituntur , quæcunque de facto docet in hoc opere , *De differentia actionum humanarum , De obligatione , ac Lege naturali , De Legis naturæ auctore , Præmiis , Pœnis , De Beatitudine , ac Felicitate hominis , De Conscientia , De Imputatione morali* . Quæ omnia integram conflant moralis Philosophiæ tractationem .

Illud etiam contra Wolfium facere videtur , quòd actio , quæ sit bona in ordine ad naturam , debeat etiam esse bona in ordine ad mores ; unde actio naturalis , quæ sit bona ex fine , indicat , actionem liberam ex eodem fine factam , esse etiam bonam . Rursus Deus , qui tradidit naturæ hominis finem , non potuit hunc finem tradere nisi bonum . Quare dari nequit actio naturalis tendens in bonum naturæ , quin sit

fit bona etiam actio libera habens eundem finem ; neque ex opposito actio tendens in perniciem naturæ , quin sit mala actio libera hominis .

Sed hic est gravis error Wolfio , ejusque Affectis . Si quidem actio naturalis in bonum naturæ est bona ex fine tendente ad conservationem naturæ : actio vero libera habens eundem finem erit bona , si sit juxta rectum ordinem , unde desumit honestatem suam . Finis traditus a Deo naturæ humanæ bonus utique fuit , & ex eodem fine fuisset etiam bona non solum actio naturalis , sed etiam libera , si homo , ex peccato , & pravis consuetudinibus vitiatâ naturâ , finem illum non depravâisset , & ad sensibilia bona plus æquo non deflexisset ; ut aliquando , neglecto etiam Creatore , bona hæc naturæ appetiisset ; quod quidem est omnino malum . Sanè hoc malum deplorabat Augustinus (1) : *Non opus est , carnis accusare naturam , quæ in genere , atque ordine suo bona est . Sed , deserto Creatore bono , vivere secundum creatum bonum , non est bonum : sive quisque secundum carnem , sive secundum animam , sive secundum totum hominem , qui constat ex anima , & corpore , eligat vivere .*

Atque hoc de actione in bonum naturæ . Pari modo fallitur Wolfius de actione naturali in malum naturæ . Audiatur Augustinum (2) ubi ait : *Fames , morbus , bellum , ex-poliatio , captivitas , trucidatio . . . . Hæc sola Mali deputant mala , quæ non faciunt malos . . . quasi hoc sit hominis maximum bonum , habere bona omnia præter seipsum .* Stare ergo possunt actiones liberæ omnino bonæ tendentes in hæc naturalia mala , quæ inter mala a bonis non semper accensentur .

Quare ergo , ( videtur Wolfius sic ratiocinari ) Deus homini sensus corporeos dedit ; nisi ut per eos sibi *cognitionem*

(1) De Civ. l. 14. c. 5.

(2) De Civ. l. 3. c. 1.



*nem historicam, & experimentalem rerum Creatarum acquireret? idem dici debet de facultatibus animæ. Consequitur ergo, hunc esse finem honestantem actiones omnes sive naturales, sive liberas. Verùm & hic hallucinatur Wolfius, nec distinguit, prout oportet, inter cognitionem legi divinæ, & humanæ justæ, aut etiam rectæ rationi contrariam, & quæ contraria non sit. Cognitio merè theoretica objecti pravi utilis est aliquando, & debitis modis comparata est etiã honesta: cognitio vero experimentalis ejusdem objecti pravi vituperatione digna est, & mala. Patet ex dictis. Sic Augustinus (1). *Scientiæ malorum duæ sunt: una, quæ potentiam mentis non latent per scientiæ doctrinam: altera, quæ experientis sensibus inbarent. Aliter quippe sciunt omnia vitia per scientiæ doctrinam; aliter per insipientis pessimam vitam.* Hæc autem in Wolñi principiis esset *Sapientis honestissima vita.* An non in hujus Auctoris sententia possent honestatem induere enormia quæcumque facinora, & nemo unus esset ex epicureis, qui doctrinam illam Wolfii non admitteret lubentissimè, quæ scilicet suis ipsorum sceleribus optimè patrocigaretur? Velle se nimirum rerum creatarum cognitionem historicam, & experimentalem, non quidem *corpori dolorificam*, utpote fini naturæ oppositam, proindeque malam; sed *voluptuosam* utpote fini naturæ consonam, adeoque bonam, sensu duce acquirere? Imò ad legem naturæ adimplendam velle usus adeo repetere, atque iterare, ut habitus inde contrahatur, adeoque corporis perfectio possit obtineri? Quis ita loquentem ex Wolfii principiis jure possit reprehendere? At quæ in hominum societates profluent corruptelæ morum, quæ flagitia, quæ sordida ac lutulenta erit ubique rerum facies?*

Equidem in perlegenda illa Wolfii præfatione ante suam *Philosophiam practicam universalem*, de qua suprâ, in eam propè sententiam descendi, Wolfium scilicet totum hoc præ-

Tom. I.

Q

vi-

(1) L. 22. de Civ. c. 30.

vidisse, & sibi etiam proposuisse; quod sanè Lectorum judicio volens submitto. Sic enim ibi de sua Philosophia adblanditur: *In hac facunda sparguntur semina, quæ latam segetem, messem uberrimam in sequentibus promittunt. Ampliorem demonstramus libertatis in actiones humanas influxum, quàm vulgè agnoscitur, præsertim quoad usum facultatum inferiorum, & operationes intellectus . . . .* *Hactenus latuit perfectio accidentalis usus facultatum, quatenus a libertate animæ dependet, obtinenda . . . .* *Intra limites nimis angustos coarctata hætenus fuit lex naturæ cum jure, & obligatione naturali.* Quæ sane verba pro dilatandis finibus legis naturæ ad demonstratum epicureismum aptari unice possunt.

Neque epicureismi notam effugiet Wolfius, quod, „ ubi illis sensuum corporis, & facultatum animæ finem præstiterit conservationem vitæ; unde vitanda sint crimina, quibus vita potius contrahitur, quàm producitur, : Nam, & epicurei ipsi, ut suprâ observavimus, quorum vita apud ethnicos pessimè audiebat, id sanctè præcipiebant in voluptatibus quærendis, *ne quid detrimenti sanitas caperet.* Rursus inter epicureos recentiores Spinoza, & hoc idem circa voluptates advertibat, ut ad vitam conservandam facerent, eique non nocerent. Sic enim habet (1): *Quæ efficiunt, ut motus, & quietis ratio, quam corporis humani partes ad invicem habent, conservetur, bona sunt: & e contra sunt mala, quæ efficiunt, ut corporis humani partes aliam ad invicem motus, & quietis habeant rationem.* Quod idem est, ac facere ad vitæ, & sanitatis conservationem. Subdit enim in Schol: *Tunc enim corpus mortem obit.* Et (2) alibi sic explicat ulteriùs mentem suam, ut videatur vel adoptasse principia Wolfiana, vel citiùs facem iis prætulisse: *Rebus uti, & iis, quantum fieri potest, delectari, (non qui-*

(1) In eth. par. 4. prop. 35.

(2) Par. 4. pr. 45.

quidem ad nauseam usque; nam hoc delectari non est) Viri est sapientis: Viri, inquam, sapientis est, moderato, ac suavi cibo, & potu se reficere, & recreare, ut & odoribus plantarum virentium amœnitate, ornatu, musicâ, ludis exercitatoriis, theatris, & aliis hujusmodi, quibus unusquisque absque ullo alterius damno uti potest. Corpus namque humanum ex plurimis diversæ naturæ partibus componitur, quæ continuo novo alimento indigent, & vario, ut totum corpus ad omnia, quæ ex ipsius natura sequi possunt, æquè aptum sit, & consequenter ut mens etiam æquè apta sit ad plura simul intelligendum. Quæ quidem sententiæ, licet ab epicureo Spinosa prolata, non adeo inhonestam faciem præferunt, ut illæ a Christiano Wolfio.

Minus etiam satisfacit, quod ipse ait, „ vitanda esse crimina, unde ab externis Magistratibus homo puniri possit, „: Siquidem in primis totum hoc aptari internis actibus minimè potest: & hos actus respicere debet honestatis regula, & Lex naturalis. Thomas Hobbes totus quantus epicureus pari modo nihil admodum sollicitus erat de internis actibus; quos nullâ lege coërcendos putabat, sed ad cujusque libidinem posse vagari, affirmabat. In suo Leviathane c. 27. Siquis, ait, bona, servos, uxorem videns. Proximi sui, frui illis cum delectatione imaginatus tantum fuerit absque omni intentione, vel consilio per fraudem, aut vim ea occupandi peccatum non est, neque præcepti non concupisces violatio. Nam jucundi etiam imaginatione delectari ita homini naturale est, ut Lex, quæ id prohiberet, etiam hominem esse prohiberet. Quod sane absurdissimum confectarium ex Wolfiana doctrina etiam descendit.

Deinde non vitantur ex illo principio occulta contra alios facinora. Agnovit hoc ex protestantibus ipsis Gundlingius, ubi contra prædictum Wolfii effugium sic scribit (1): *Fingamus, me esse solum absque arbitro. Mæsius.*

Q 2

repo-

(1) Apud Desing. Jur. nat. c. 11. pag. 97.

*reposit pecuniam : eam esse Mævii haud me fugit : discessit Mævius . Ego verò mecum : Insanus sum , si hanc illi restitutam ; me id tulisse , is resciscere nequaquam potest . Quid hinc me moveat , ne pecuniam retineam ? Habeo praesens commodum , nil est incommodi ; virgis non cadar , cum lateam omnes . Ostendat mihi quisquam ex illa Philosophia Wolfiana argumentum aliquod , cur non retineam pecuniam ? Dices fortasse : rectè ab hoc retineri pecuniam . Ob praecellentem Philosophiam ! . . . Itaque efficitur , etiam penas arbitrarias locum habere , nobisque leges naturales non solum ob id esse servandas , quod utiles sunt , sed quod a Deo imperatae ; & , nisi servaveris , Deus te extraordinariè punit .*

*Hactenus Gundligius , cujus sapienti in Wolfium animadversioni consonant ethnici ipsi Philosophi ; & praesertim Tullius loco supra citato . Ac rursus alibi ( 1 ) ubi rem hanc laudabiliter nimis pertractat , cujus verba nefas est praeterire : Satès enim ( ait ) nobis persuasum esse debet , ( si modò in Philosophia aliquid profecimus ) si omnes Deos , hominesque celare possimus , nihil tamen avarè , nihil libidinosè , nihil incontinenter esse faciendum . Hinc ille Gyges inducitur a Platone : qui cum terra discessisset magnis quibusdam imbribus , in illum hiatus descendit , aeneumque equum ( ut ferunt fabulae ) animadvertit , cujus in lateribus fores essent : quibus apertis , hominis mortui vidit corpus magnitudine inusitatà , annulumque aureum in digito , quem ut detraxit ipse induit : ( erat autem regius Pastor ) tum in concilium Pastorum se recepit . Ibi cum palam ejus annuli ad palmam converterat , a nullo videbatur , ipse autem omnia videbat ; idem rursus videbatur , cum in locum annulum inperterat . Itaque hac opportunitate annuli usus reginae stuprum intulit : eaque adjutrice regem dominum interemit , sustulit quos obstare arbitrabatur : nec in his eum quisquam facinoribus potuit videre . Sic repente annuli beneficio Rex*

*exor-*

*exortus est Lydia. Hunc igitur ipsum annulum (advertant Wolfiani) si habeat sapiens, nihil plus sibi licere putet peccare, quam si non haberet. Honesti enim bonis Viris, non occulta quærantur.*

Illud tandem pro Wolfio posset dici, nimirum penes ipsum proponentem *naturæ finem*; intelligi debere usum sensuum corporis, & facultatum animæ *de usu bono* non autem *de usu malo*, seu *abuso*, ut ipsemet in sua Theologia naturali clarè distinguit. Ergo, si ita esset, penes Wolfium illæ erunt *actiones bonæ*, quas homo operabitur per *usum bonum* organorum corporis, & facultatum animæ; illæ verò *actiones malæ*, quas aget per *usum malum*, seu *abusum* facultatum animæ, & sensuum corporis. Ergo a Wolfio explicaretur *bona actio* per bonum usum, *mala actio* per malum usum. Quid ergo opus tot lemmatis, tot theorematis, tot propositionibus, in tot voluminibus coacervatis, quibus (ut lepidè scribebat ille) orbem totum Wolfius inundavit? nempè ut tandem sciretur, quòd *Roma est Tybure major*? Nonne esset omnino ineptire, & orbi erudito velle imponere?

Ex parte alia quæri posset iterum ab hoc Philosopho, (quæ est quidem rei totius summa) in quonam situs ipsi sit *bonus usus*; & quo pacto *a malo usu*, seu *abuso* distinguatur? Atque hîc, vel aliquod ultra dabit discrimen, vel nullum? Si primum: ergo hoc aliud erit utique, per quod honestum ab inhonesto distinguatur, eritque *regula honesti*, quam quærimus. Si nullum: ergo & hîc hæret aqua. Unde superest, ut egregius iste morum Philosophus post tot jactatas suas demonstrationes nondum clarè proposuerit, nedum non demonstraverit, veram honesti, aut inhonesti notionem.

Equidem hanc Wolfii evasionem omnino fictam reputavi, utpote satis puerilem; ne dicam, insaniam plenam, & val-

(1) P. I. c. 4.

& valde ridiculam. Sed Antonius Genuensis (1) ubi *de lege naturali*, Wolfii systema exponendum sumit, & Wolfii ipsius prætermisissis tomis, ut fatetur, ejus doctrinam apud Henricum Koehlerum (2) examinat, aliter sentit. Afferit autem & hoc Wolfiani systematis compendium Koehleri *isidem ambagibus esse intricatum*, ac est Wolfianum opus, quod, ipso fatente, *plurimam rebus ipsis quandoque obscuritatem offundit*. Nihil igitur miror, si Genuensis veram Wolfii mentem non fuerit assecutus, ut patet legenti utrumque; & Wolfium voluerit explicare, ac si *de usu loquutus sit ex ratione directo*. Nullibi enim apud Wolfium hoc legitur, & quas Genuensis subdit regulas pro discernenda vitæ felicitate *a summa voluptatum totius vitæ*, non ex Wolfii desumpsit systemate, sed ex aliis auctoribus, & potissimum ex (3) Burlamaqui, de quo infra redibit sermo. Quare non est, cur post traditum modo suo Wolfianum systema concludat: *Si cum hujusmodi regulis lex illa generica adhibeatur, erit illa præclara totius humanæ vitæ, omniumque hominum officiorum norma*. Prædictæ enim regulæ nequeunt Wolfianis principiis aptari.

Sanè Wolfium eodem ac nos modo intellexit, explicuitque Jo: Justinus Schierschmidius Lipsiensis (4), ubi Wolfianum systema propugnans, ipso fatente; ait §. 18. *Natura nos obligat, ut ea faciamus, quæ animam, & corpus perficiunt*. Sed §. 21. explicat vocem illam *perficere* sine tot ambagibus: *Status externus perficitur comparatione honoris, jucunditatis, & rerum externarum. Naturâ obligamur ad comparationem honoris, jucunditatis, rerum exter-*

(1) In suis metaphysic. discipl. elementis to. 4.

(2) In opere de Jure naturæ in primis cogente edito Francosarti ad Mænum an. 1738.

(3) Parte 1. c. 6. Princip. Jur. nat.

(4) In Præcognitis Juris civilis Neapoli editis an. 1756. tom. 2. Jurisprudentiæ Juvenilis.

*ternarum*. En vera, & germana Wolfianæ morum regulæ doctrina! Quàm dispar est ab hac Christianæ doctrinæ regula! In hac sanè honestatis ratio, ex qua oriri debet naturæ perfectio, non in honore, jucunditate, aut rebus aliis externis consistere dicitur; quin & propter virtutem hæc omnia nihili ducenda sunt. Tomo 2. dicemus, in quam consistat hominis perfectio ex I. N. Interim audiatur Augustinus (1) *Quoniam animi æquitas, & corporis salus, utrumque bonum est, bonique amissione dolendum est potius, quàm latandum; si tamen non sit compensatio melioris: melior est autem animi æquitas, quàm corporis sanitas. Hinc est, quòd Virtus idest ars regendæ vitæ quædam minora, si necessitas postulat, propter majora vel adipiscenda, vel tenenda contemnat: omnium autem bonorum vel animi, vel corporis nihil sibi virtus omnino præponit.* Hæc sunt vera, circa honestatem præcepta, quæ lumen etiam naturale sibi adsciscit. Seneca (2) expressè definit: *fieri non potest, ut aliqua res bona quidem sit, sed optabilis non sit: deinde si Virtus optabilis est, nullum autem bonum sine virtute, & omne bonum optabile. . . . Quid interest: optes hoc alicui, an optabile fuisse fatearis? Decius se pro Rep. devovit, & in medios hostes concitato equo mortem petens irruit. Alter post hunc paternæ virtutis æmulus, conceptis solennibus, ac jam familiaribus verbis, in aciem confertissimam incurrit, de hoc sollicitus tantùm ut litaret, optabilem rem putans bonam mortem. Dubitas ergo, an optimum sit, memorabilem mori, & in aliquo opere virtutis? . . . Quidquid honestè sit, una virtus facit.* Non ergo in horum sententia Natura ratione utens obligat ad comparisonem honoris, jucunditatis, & rerum externarum: quin propter virtutem obligat ad perdendam vitam. Eodem modo loquitur Juvenalis (3).

Am-

(1) L. 19. c. 3. &amp; 13. de Civ.

(2) Ep. 67.

(3) Sat. 8.

. . . . . *Ambiguæ si quando citabere testis  
 Incertæque rei : Phalaris licet imperet , ut sis  
 Falsus , & admoto dicet perjuria tauro ,  
 Summum crede nefas , animam præferre pudori ;  
 Et propter vitam vivendi perdere Causas .*

Quis hæc audiens Christianorum non commoveatur contra nostrorum temporum Philosophos adeo turpiter de morum regula ratiocinantes ? Ethnici solo rationis lumine ducti exhibere veriti sunt codicem lubricitatis , qualem legimus exhiberi a Sapientibus nostri seculi , quibus ad ignominiam sempiternam relicta fuit ignominiosa *virtutis , honestatis , humanitatis* deturpatione . Voltairius in discursu de *voluptate* fidem faciat huic propositioni : epicureus totus quantus ; imò & Epicuro ipso longè detestabilior : siquidem & apud istum teste Seneca (1) *sancta , & recta præcipiebantur , & voluptas erat legibus coercenda* ; apud Voltairium voluptas nullo fræno cohibetur , aut lege : ut in opere citato exprimitur .

IV. Burlamaquius (2) fusè expendit , ,, an detur in ,, actibus humanis moralitas aliqua , & aliqua obligatio an ,, tecedenter ad legem naturalem , & independentem ab ,, idea Legislatoris ? ,, . Ponit plura nostris principiis conformia , quæ hic referre non vacat . Speciatim verò , ,, quòd ,, actus , ut sit moralis , debeat essentialiter referri ad aliquam ,, regulam , quæ sanè esse potest *intrinseca* , aut *extrinseca* ,, . Et circa regulam *intrinsecam* ait , ,, consistere ,, re partim in *intimo quodam sensu morali* nobis indicante ,, confusè , & citra quamlibet reflexionem , quid distet inter ,, bonum , & malum , ac simul alliciente nos ad bonum , retrahente nos a turpi , & malo : partim etiam ,, *in ratione* , seu advertentia ad objectorum naturam , eorum-

(1) De vit. beat. t. 13.

(2) L. de princ. Jur. nat. p. 2. t. 7.



„ rumque relationes, & consecutaria; unde distinctè, &  
 „ quasi per principia distinguatur bonum a malo. Regulam  
 „ extrinsecam vult esse voluntatem Dei in lege expressam „.  
 Post plura tandem ait §. 13. posse ad hæc duo capita reduci  
 doctrinam suam hac super re.

I. *Ratio est prima regula hominis, est primum principium moralitatis, est causa immediata totius obligationis primitivæ.*

II. *Cùmque homo naturâ suâ, & ratione sui status necessariò dependeat a Creatore, eum consilio, & sapientiâ creante propter determinatos quosdam fines: sequitur inde, Voluntatem Dei esse aliam regulam actuum humanorum, aliud principium moralitatis, & obligationis.*

*Quare asseri potest, generatim loquendo, duo esse genera moralitatis, seu obligationis: unum antecedenter ad legem, quod est solius rationis opus: alterum consequenter ad legem, estque hujus effectus.*

Juxta hæc principia asserit, „ posse optimè concipi  
 „ obligationem in homine ad aliquod agendum, vel omit-  
 „ tendum, præscindendo etiam ad momentum a quolibet  
 „ Superiore „ §. 8., ortam scilicet a sola ratione. Resol-  
 vit objecta, quæ contrâ fieri possunt, videlicet: §. 9. *neminem a seipso posse ad aliquid obligari; eundemque hominem posse seipsum obligare, seque ipsum statim ab obligatione liberare, quemadmodum accideret Debitori succedenti in jura, & bona Creditoris*: Resolvit quidem §. 10. „, ex eo,  
 „ quòd in primis præter legem admitti debet alia norma,  
 „ quæ est Ratio; ni velimus dicere, Rationem datam ho-  
 „ mini rationali frustra, & sine consilio. Deinde vocem  
 „ obligationis non unicè aptandam necessariò legi, ni ve-  
 „ limus quæstionem de voce instituere; sed posse etiam lo-  
 „ cum habere in ipsa ratione: quamvis major, & perfe-  
 „ ctior ex lege oriatur obligatio, quam ex sola ratione.  
 „ Possit homo ab obligatione orta ex ratione se liberare,

„ sed agendo irrationabiliter ; sicuti posset ab obligatione  
 „ legis se eximere , sed agendo injustè „ . §. 11.

Hæc sunt Burlamaquii asserta de principio intrinseco honestatis . Verùm , si attentè expendatur , est adhuc inquirendum ab hoc Auctore , quodnam sit objectum a *Ratione* exhibitum , ut sit , & appellari possit *regula actuum humanorum* ? Ratio enim de se ostendere debet homini aliquod , cui se conformando *honestè agat* , & , contrà agendo , agat *inhonestè* . Cognoscit hoc Auctor , sed non solidè ratiocinatur , & idcirca non semper sibi ipsi constat . Expendamus hoc , vestigiis Auctoris insistendo .

§. 4. ait , „ tria illa prius exposita principia , *sensum*  
 „ *intimum moralem* , *Rationem* , & *Dei voluntatem* ( quæ  
 „ deinde ad duo redacta ab ipso sunt ad *rationem* videlicet ,  
 „ & ad *Dei voluntatem* ) pro statu præsentis hominis esse simul  
 „ unita : & consequenter *Regulam actionum humanarum* ,  
 „ *seu verum fundamentum moralitatis esse propriè volunta-*  
 „ *tem Entis supremi manifestatam sive per sensum moralem* ,  
 „ *sive per rationem* „ .

Ex quibus verbis videtur Auctor sumere pro objecto indicato a ratione *voluntatem Dei* . Sed nihilominus & aliud rationi objectum deinde tribuit , unde aliqua exfurgat obligatio in homine .

§. 5. & 6. „ ait , hominem in agendo debere sibi pro  
 „ ponerè *finem* , & exinde aliquo modo *teneri ad agendum*  
 „ *juxta eum finem* , quemadmodum *Ratio manifestat* . Qua-  
 „ re dari potest *majar obligatio* , vel *minor* , prout *majora* ,  
 „ vel *minora sunt motiva a ratione exhibitæ* „ .

Hic autem esset locus explicandi mentem suam , indicando motiva , quæ possint a *Ratione* manifestari , & quidem independenter a divina *Voluntate* . Profectò §. 8.  
 „ Considerat hominem solum sine *superiore* , & *lege* , tan-  
 „ qua n *unicè rationalem* . Hic homo ( ait ) *proponit sibi suum*  
 „ *bonum* , scilicet , *bonum statum animæ* , & *corporis* . *Quæ*  
 „ *rit*

„ rit deinde media ad id obtinendum : ubi semel agnovit ,  
 „ approbat quasdam actiones , quasdam verò reprobat ;  
 „ & consequenter vel approbat seipsum , vel condemnat ,  
 „ prout vel primo modo secundum rationem , vel secundo mo-  
 „ do contra rationem egerit „ .

Sed difficultas redit in eo , quid revera sit *bonum ho-*  
*minis* , seu *bonus status animæ & corporis* ? Nisi enim hoc  
 sciatur , nequit inde inferri rationem proponere *honestum*  
*medium* , ut patet . Sed circa hoc nihil est luminis apud  
 Auctorem . Quare Burlamaquius opinatur , „ hominem ra-  
 „ tionalem , ut rationabiliter operetur , debere agere , feu  
 „ media assumere , quæ ratio exhibet ad finem sibi pro-  
 „ positum conducentia ; & inde oriri in homine obligatio-  
 „ nem ad operandum secundum rationem „ .

Verum & nefarius quilibet homo ad scelus perpetrandum  
 media assumit , quæ ratio suadet eò tendentia : Sic  
 homo iste *rationabiliter* ad finem sibi propositum dicitur ope-  
 rari ; sed tamen inhonestè operatur . Opus est igitur , ob-  
 jectum rationi exhibitum esse aliunde *honestum* , ut homo  
 secundum rationem agens , honestè agat . Sed hoc *honestum*  
 in Burlamaquio independens a voluntate divina , prout ipse  
 asserit debere dari ) frustra quærimus .

Legimus enimvero alibi vocem hanc *Recta ratio* sic in  
 fin. §. 12. Sed cui conformari debeat *Ratio* , ut sit *recta* ,  
 non apparet .

Nequid autem dissimulemus , capite 8. sequenti Burla-  
 maquius explicandum sumens , quid sit *utile* , quid *justum* ;  
 quid *honestum* , quid *secundum ordinem* , & quid *secundum*  
*convenientiam* , hæc tradit , quæ non sunt omittenda : *utilis*  
*est actio* , quæ per seipsam tendit ad *conservationem* , &  
*perfectionem hominis* . Unde apparet , quid sibi velit hæc  
*perfectio hominis* , quæ in idem recidit , ac illa Wolfii : quæ  
 ab *utili* vim suam fortitur .

*Justa est actio* , quæ fit conformis voluntati superioris  
 eam præcipientis .

*Honestâ est actio, quæ est conformis principiis rectæ rationis, conveniens dignitati nostræ naturæ, digna approbatione hominum, & pariens operanti decus, existimationem, honorem.*

*Ordo est dispositio plurium rerum relatè ad quemdam finem, & proportionata effectui, qui vult produci.*

*Tandem convenientia est proxima ordini, estque relatio conformitatis inter plura, quorum unum spectat ex se ad conservationem, & perfectionem alterius, & conducit ad conservandum illud in bono statu.*

*Hæc autem omnia a Ratione approbari, (ait Burlamaquius) tum seorsim, tum multò magis simul sumpta. Illa tria nempe utile, justum, honestum, sunt naturâ suâ simul conjuncta; quemadmodum advertit Tullius (1): *In quo lapsa consuetudo deflexit de via, sensimque ed deducta est: ut honestatem ab utilitate secernens, & constituerit honestum esse aliquod, quod utile non esset, & utile quod non honestum: qua nulla pernicies major hominum vitæ potuit deferri.**

*Quæ ex Burlaquamio exposuimus, non videntur contemnenda; optâsem etiam hic explicationem meliorem honesti, cum juxta ipsius principia nequeat intelligi, quid veniat nomine rectæ rationis, ut diximus: & obscura est adhuc apud ipsum dignitas nostræ naturæ, quæ sanè, si benè explicetur, cum nostra sententia posset coincidere, ut inde liceret colligere, hominem sine præjudicio ratiocinantem in statutas a nobis propositiones tandem aliquando devenire.*

DIS-

(1) L. 2. c. 3. de Off.

## DISSERTATIO V.

*Quid Lex naturalis præcipiat, quidve prohibeat? Ubi de Virtutibus, de Legibus positivis, ac de Jure Gentium. An ad externos actus se extendat, nedum internos? Hæc Puffendorffii errores. Varia inde utilissima consuetaria.*

I. **L** Ex naturalis ( ut suprâ statuimus ) circa ea versatur, quæ *intrinsecam* honestatem, aut turpitudinem habent. Sunt autem circa rem hanc quædam generalia principia per se nota, quæ intrinsecè etiam bona sunt, eorumque contraria intrinsecè mala. Sic sunt illa. *Bonum est faciendum: Malum vitandum: Quod tibi non vis, alteri ne feceris.* Atque hæc sunt quidem primaria legis naturalis veluti materia. De his autem principiis dari nequit *Ignorantia invincibilis* in homine videlicet ratione utente, ac terminos intelligente. Sunt enim adeo conformia naturæ rationali, ut, ubi advertantur, eorumque vis expendatur, statim appareat, a lege naturali præcipi, eorumque contraria prohiberi.

Quoad hæc Principia ita docet Augustinus (1): *Scriptis Deus naturæ legem in cordibus hominum, quam non sinuntur ignorare, ut esset, unde judicentur.* Et (2) alibi: *Nullus est, qui faciat alteri injuriam, nisi qui fieri sibi nolit; & in hoc transgreditur legem naturæ, quam non sinuntur ignorare; dum id, quod facit, non vult pati.*

Chrysostronus pariter (3): *Manifestum est, (ait) secundum naturam nobis esse virtutem. Domestico quippe magisterio, omnes, quæ facere debemus, agnoscimus; & impossibile nobis omnino est, ad ignorantiam præsidium aliquando confugere.*

Eodem

(1) In Pf. 57.

(2) Serm. 25. in Pf. 118.

(3) In hom. 24. in c. 7. Matth.

Eodem modo loquitur Hieronymus (1): *Nullus hominum est, qui hanc legem nesciat. Idcirco justum iudicium Dei est, scribentis in corde humani generis.*

Et S. Thomas (2) *Veritatem omnes aequaliter cognoscunt, ad minus quantum ad principia communia legis naturalis.*

Accedit Ethnicorum communis persuasio apud Senecam, ubi de principio illo grati animi erga eum, qui beneficium contulit, egregiè disserit, atque illud ignorari ab ullo negat, quamvis circa alia objecta diversimodè ab hominibus iudicetur (3). *In hoc fidei populi credamus: Nihil esse grato animo honestius. Omnes hoc Urbes, omnes etiam ex barbaris regionibus Gentes conclamabunt: in hoc bonis, malisque conveniet. Erunt, qui voluptates laudent; erunt, qui labores malint: erunt, qui dolorem maximum malum dicant; erunt, qui ne malum quidem appellent: divitias aliquis ad summum bonum admittet, alius illas dicet humanæ malvitæ repertas; nihil esse eo locupletius, cui quod donet fortuna non invenit. In tanta iudiciorum diversitate, referendam bene merentibus gratiam, omnes uno tibi, quod ajunt, ore affirmabunt: in hoc tam discors turba consentiet.*

Præter illa prima principia morum, dantur quædam alia veluti secundaria principia, & quasi consecratoria ex illis; quæ nos expressè legimus in divinis *Decalogi* tabulis. Hæc autem non eodem modo, nec eadem claritate omnibus dignoscuntur omnia: sed quædam facilius, & primo veluti obtutu turpitudinem præferunt, ut *adulterium, furtum, & similia*. Quædam majore indigent ratiocinatione; & non ita facilè ab omnibus advertitur eorum turpitude, licèt & in primis illis fundetur morum principii, & etiam ipsis *Decalogi* præceptis consentiant: sic *Fornicationem esse*

(1) Ep. ad Algam.

(2) 1. 2. q. 93. ar. 2.

(3) Epist. 81.

*esse intrinsecè malam, Usuram esse injustam, Mendacium nunquam posse esse honestum, & hujusmodi alia, quæ non solum præcepta respiciunt negativa, sed etiam aliqua positiva, de servandis promissis, de restituendo deposito, & alia.*

Circa hæc dari potest *ignorantia*, utpote quæ, ut dicebam, non statim quid in se contineant honesti, aut inhonesti, manifestant; indigent bonâ ratiocinatione, ad quam non omnes apti sunt. Idcirco operantem ex hac ignorantia excusat ignorantia ipsa, si est *invincibilis*, quemadmodum docet S. Thomas (1): *Si in eodem actu aliquid est ignoratum, & aliquid scitum: semper tamen est involuntarium, quantum ad id, quod est ignoratum: sive ignoratur deformitas actûs, puta, cum aliquis nescit, fornicationem esse peccatum, voluntariè quidem facit fornicationem, sed non voluntariè facit peccatum: sive ignoretur circumstantia actûs, sicut cum aliquis accedit ad mulierem, quam credit esse suam, voluntariè quidem accedit ad mulierem, sed non voluntariè ad non suam.* Ex qua ratione jure damnavit oppositam propositionem Alex. VIII. & nos contra Puffendorium pro damnata propositione sentientem hoc retulimus in *Dissert. prælim.*

His præhabitis, statui omnino potest: „ *Legem naturalem præcipere, quæ necessaria sunt bono naturæ rationalis, & prohibere omne id, quod necessariò est naturæ rationali contrariam* „ Plurima fanè objecta complectimur sub hac propositione, sed ea omnia esse legis naturalis materiam, ad eamque spectare, dicimus. Siquidem Lex naturalis homines obligat ad servandum id omne, quod recta ratio dicitur; ut ex *Diss. 3.* Atqui recta ratio dicitur, tum esse faciendum omne id, quod necessarium sit ad vivendum conformiter ad naturam rationalem; tum non esse patrandum omnino id, quod necessariò oppositum est natu-

ræ

(1) q. 3. de malo art. 8.

ræ rationali. Præcipit ergo Lex naturalis, quæ necessaria sunt bono naturæ rationalis, & prohibet ea, quæ necessariò sunt ipsi contraria.

Quare non modò prima illa principia ad legem naturalem spectant, sed & illa, quæ evidenti illatione ex primis illis principiis deducuntur. Etenim veritas, & honestas propositionis ex aliquo principio evidenter deductæ, in ipso principio continetur; & veritas, honestasque principii est eodem pacto, & residet in propositione inde evidenter illatâ. Quare qui unum præcipit, vel prohibet, utpote vel necessariò conducens ad bonum naturæ rationalis modo dicto, vel necessariò illi oppositum: debet pari ratione vel præcipere, vel prohibere id, quod in illo continetur, & sine quò esse non potest, Quod quidem de lege naturali verum esse debet; imo lex naturalis multò meliùs vim suam exercet in his propositionibus particularibus, quàm in illis universalioribus. Lex enim est regula operandi, ut est certum: jam nequit applicari ad singulas species actuum, vel operationum, nisi quatenus generalia principia determinantur ad illas per alia particularia. Debet lex ergo hæc particularia vel præcipere, vel prohibere, prout oportet. Tandem propositiones hujusmodi particulares necessitate quadam a recta naturali ratione, & a Deo auctore naturæ rationalis procedunt, & ad unum eundemque finem, videlicet ad debitam conservationem, rectam perfectionem, & veram felicitatem, uno verbo ad bonum animæ rationalis (quemadmodum prima illa Principia) tendunt. Si itaque lex naturalis hæc juris sui esse nobis suadet, pari ratione & illa nos legi naturali tribuemus.

Neque aliquid obstat, quòd in particularibus propositionibus prædictis observetur factum esse aliquid mutationis, quod in primis illis principiis accidere minimè potest. Siquidem, ut infra ostendam, lex naturalis est in seipsa omniño immutabilis; & idcirco sive hæc sit in principiis,

sive



sive in propositionibus eadem semper manet sine ulla sui mutatione . Discrimen autem quoad hoc inter prima illa principia , & has particulares propositiones versatur circa materiam , quæ in istis variari potest , in illis est prorsus invariabilis ; quod sanè rationem legis non mutat . Sed de hac re loco suo .

Diximus hæctenus de illis propositionibus , quæ evidenti illatione ex primis illis Juris naturæ principiis firmâ ratiocinatione deducuntur : Anne eodem modo sit asserendum de virtutum quarumcunque actibus , quos præcipere potest Superior : eos scilicet ad legem naturæ pertinere ? Possunt enim & actus prædicti per ratiocinationem a lege naturæ deduci . De his autem dico , omnes cujuscunque virtutis , actus , licèt aliquo modo ad legem naturalem reduci , possint ; non eodem modo ad illam spectare , quemadmodum propositiones spectant illæ , quas diximus evidenti illatione a primis principiis deduci , : Etenim non ita evidenter apparet lumini rationis , actus illos virtutum in primis illis principiis includi . Ceterùm & actus omnes virtutum generatim accepti conformes sunt naturæ rationali rectâ ratione dirigibili , & consequenter ad legem naturalem spectare possunt . Quare si pro aliqua circumstantia fiat , ut actus quidam virtutis sit respectu Personæ alicujus necessariò conveniens , & hæc necessaria convenientia ex sola ratione naturali cognoscatur : tunc clarum est , ex lege naturali hominem illum teneri ad exercendum actum prædictum virtutis . De quibus fusè disputabitur , ubi *de Officiis legis naturalis* . Si verò actus virtutum sit necessariò conveniens ex lege positiva , ut *in jejunio* , vel *in justo rei pretio* , tunc Lex naturæ concurrat ad dandam efficaciam legi positivæ .

Hæc est ex lumine , & ratione naturali eruta doctrina , quam pariter S. Thomas (1) sic egregiè declarat : *De*  
*Tom. I.* S *acti-*

(1) 1. 2. q. 94. ar. 3.

actibus virtuosis dupliciter loqui possumus. Uno modo in quantum sunt virtuosus, alio modo in quantum sunt tales actus in propriis speciebus considerati. Si igitur loquamur de actibus virtutum, in quantum sunt virtuosus, sic omnes actus virtuosus pertinent ad legem naturæ. Dictum est enim, quod ad legem naturæ pertinet omne illud, ad quod inclinatur homo secundum suam naturam. Inclinatur autem unumquodque naturaliter ad operationem sibi convenientem, secundum suam formam, sicut ignis ad calefaciendum. Unde cum anima rationalis sit propria forma hominis, naturalis inclinatio inest cuilibet homini ad hoc, quod agat secundum rationem: Et hoc est agere secundum virtutem. Unde secundum hoc omnes actus virtutum sunt de lege naturali; dicitur enim hoc naturaliter unicuique propria ratio; ut virtuosè agat. Sed si loquamur de actibus virtuosis secundum seipfos (prout scilicet in propriis speciebus considerantur) sic non omnes actus virtuosus sunt de lege naturæ, multa enim secundum naturam sunt, ad quæ natura non primò inclinatur: sed per rationis inquisitionem ea homines adinvenerunt, quasi utilia ad bene vivendum.

Id ipsum Seneca pluribus in locis expressit lumine ductus naturali. Sic (1): Omnes præoccupati sumus, virtutes discere, vitia dediscere: sed eò majore animo ad emendationem nostri debemus accedere, quod semel traditi boni perpetua possessio est. Non dediscitur virtus. Contraria enim mala in alieno hærent: ideo expelli, & exturbari possunt: sed deliter sedent, quæ in locum suum veniunt. Virtus secundum naturam est; vitia inimica, & infesta sunt. Et (2) alibi: Non est, quod dicas, excidi (vitia) non posse. Sanabilibus agrotamus malis: ipsaque nos in rectam genitos Natura, si emendari velimus, juvat. Nec, ut quibusdam dictum est, arduum in virtutes, & asperum iter est: plano

De

(1) Epist. 50.

(2) L. 2. de Ira c. 13.

De Legibus autem positivis, quæ justæ sunt, & a lege æterna, ut diximus, proveniunt; inquiri etiam possit, an ad legem naturalem referantur? Profectò humanus Legislator ex principiis naturalibus deducere debet legem aliquam particularem, aut illam statuere juxta legem naturalem, ut proprietates legis habeat: verùm & circa diversas leges potest se diversimodè gerere, unde in aliquibus Lex naturalis vim suam tribuit decreto illi superioris, in aliquibus verò locum habet libera voluntas Legislatoris, quæ tamen sit juxta legem naturalem. Exemplis res clarior fiet: Lex est naturalis hæc: *Homo non est injustè occidendus*. Lex autem positiva, quæ per legitimam illationem ex illa lege naturali deducitur, est: *Ergo nec mutilandus*. Quia pars continetur in toto, & minus in majori ejusdem generis. Pari modo est Lex naturalis: *Non furandum*. Sequitur inde Lex positiva: *Ergo nec detrahendum*. Cùm par sit ratio de bono famæ, ac de bonis fortunæ. Jam in his, & similibus legibus Legislator humanus naturalem legem consultit, ab eaque immediatè docetur ad legem ferendam, nihilque ex arbitrio suo addit, sed veluti evolvit, quidquid est in lege naturali involutum.

Non ita verò se res habet in aliis legibus, ubi voluntate liberâ Legislatoris determinatur in particulari, quidquid Lex naturalis confusè tantùm, & veluti generatim præcipiebat. Sic ex illa lege naturali, *Delinquens est aliquâ penâ puniendus*; non nisi voluntate suâ liberâ Legislator decernit: *esse multandum penâ capitis*. Pari modo in rebus sacris Lex naturæ sancit: *Aliquis dies est Deo sacrandus*: Legislatoris autem positivâ voluntate sancitum est: *esse diem sabathi, vel dominicæ*. Hæ leges dicuntur *positivæ*, quia determinatio illa particularis pendet a voluntate Legislatoris humani, vel divini.

Rem hanc optimè expressam habemus a S. Thoma (1):

S 2

Omnis

(1) 1. 2. q. 95. ar. 2.

*Omnis Lex humanitùs posita in tantùm habet de ratione legis, in quantùm a lege naturæ derivatur. Sed sciendum est, quòd a lege naturali dupliciter potest aliquid derivari: Uno modo sicut conclusiones ex principiis; alio modo sicut determinationes quædam aliquorum communium. Primus quidem modus similis est ei, quo in scientiis, & principiis conclusiones demonstrativæ producuntur. Secundo verò modo simile est, quòd in artibus formæ communes determinantur ad aliquod speciale. Sicut artifex formam communem domùs, necesse est, quòd determinet ad hanc, vel illam domùs figuram. Derivantur ergo quædam a principiis communibus legis naturæ per modum conclusionum: sicut hoc, quòd est: non esse occidendum, ut conclusio quædam derivari potest ab eo, quòd est: nulli faciendum esse malum. Quædam verò per modum determinationis: Sicut Lex naturæ habet, quòd ille qui peccat, puniatur; sed quòd tali penâ, vel tali puniatur, hoc est quædam determinatio legis naturæ. Utraque igitur inveniuntur in lege humana posita. Sed ea, quæ sunt primi modi, continentur in lege humana, non tanquam sint solùm lege posita, sed habent etiam, aliquid vigoris ex lege naturali; sed ea, quæ sunt secundi modi, ex sola lege humana vigorem habent.*

Illud tandem objici posset, nimirum Propositiones istas particulares ex principiis ad legem naturalem spectantibus deductas ab aliquibus affirmari, ab aliis negari; non ita verò diversimodè judicatur de primis Principiis. Videntur itaque, non esse eodem modo Juris naturalis.

Sed hoc, quòd objicitur, verissimum esse fatendum est, quin tamen exinde inferri possit, non spectare ad legem naturalem etiam propositiones prædictas. In primis veritas primorum principiorum in re morali adeo clara, & evidens est, ut, penetratis terminis, seu intellectâ vocum significatione, anima rationalis ex se ipsa, vi sua naturali ea affirmet, eaque complectatur. Unde sequi illud  
neces-

necessarium est , ignorantiam primorum principiorum dari non posse . Pari ratione se res habet in his principiis moralibus , ac in principiis theoreticis ; ubi eodem modo , explicatis vocibus , necesse est , animam assentiri . *Idem non potest simul esse , & non esse . Omne totum est majus sua parte .* At in propositionibus inde deductis non est adeo evidens veritas , licet reipsa sit , tum respectu principiorum theoreticorum , cum respectu principiorum moralium . Si quidem quod *in triangulis omnes anguli sint æquales duobus rectis* , & quod *in omni triangulo non possit dari nisi unus angulus rectus* , veritas est nihilo minor , ac in principiis ipsis ; sed tamen non æquè est omnibus nota , ac illa principiorum . In morali re multò magis cæcutit mens humana in dignoscenda veritate propositionum particularium prædictarum , licet non minor sit , ac est in primis principiis . Oritur autem major hæc difficultas ex depravata animi nostri natura vitio primariæ labis , & vitio etiam nostrarum cupiditatum ; & idcirco statuimus , advocandam esse Religionis opem ad ea meliùs dignoscenda ; quemadmodum ope Religionis factum est , ut plures nationes noverint , illicita esse , ac detestati fuerint ea , quæ ante lumen acceptum Religionis deformia esse legi naturali , non advertabant . Germani olim , referente Julio Cæsare l. 1. de bello gallico , non esse illicitum putabant latrocinium . Romani ipsi , qui cultiores præ cæteris nationibus & esse , & videri malebant , quot iniqua decreta , & contra legem ipsam naturalem Senatùs consulta præsertim circa spectacula humano sanguine sordida sanxerunt , quæ deinde christiana Religio jure naturæ opposita pronunciavit ?

Et in hoc auctoritatem S. Thomæ reveremur , qui (1) de hac eadem re disserens , concludit : ( Lex naturæ ) *quæntum ad quædam propria , quæ sunt quasi conclusiones principiorum communium , est eadem apud omnes , etiam ut in pluri-*

(1) I. 2. q. 94. ar. 4.

pluribus, & secundum rectitudinem, & secundum notitiam. Sed ut in paucioribus potest deficere & quantum ad rectitudinem . . . & etiam quantum ad notitiam: & hoc propter hoc, quod aliqui habent depravatam rationem ex passione, seu ex mala consuetudine, seu ex mala habitudine nature. Et (1) rursus: quædam sunt, quæ statim per se ratio naturalis cujuslibet hominis diiudicat esse faciendæ, vel non faciendæ: sicut honora Patrem tuum, & Matrem: & non occides, non furtum facies, & hujusmodi, sunt absolute de lege nature. Quædam verò sunt, quæ subtiliori consideratione rationis a Sapientibus judicantur esse observandæ. Et ista sic sunt de lege nature, ut tamen indigeant disciplinâ.

Quid autem dicemus De Jure Gentium, contendente Hobbesio, Jus Gentium esse Partem Juris naturalis? Dividitur enim ab ipso Jus nature (2) in Jus nature proprium hominum, & Jus nature proprium nationum, quod secundum est, quod dicitur Jus Gentium: & post Hobbes in eadem sunt opinione Puffendorfius (3), & affecla Barbeyracius, qui cum eo sentit, & alii etiam. Contrà verò Grotius (4) putat, distinctum omnino a Jure nature esse Jus Gentium, & ad Jus humanum pertinere. Siquidem non a principiis Juris nature desumitur vis, & efficacia Juris Gentium, sed a voluntate libera Populorum; quod ostendit ex eo, quia Juris Gentium dogmata ex praxi perpetua populorum, & testimonio historicorum comprobari videmus. Equidem duplex dari puto Jus Gentium, alterum necessarium, quod admittunt citati AA. contra Grotium: alterum liberum, & voluntarium, pro quo in Grotii sententiam descendo, quam loco suo explicabo fusiùs, innixus præterea argu-

(1) Ib. q. 100. ar. 1.

(2) De Cive c. 14. §. 4.

(3) De I. N. & G. l. 2. c. 3. §. 23.

(4) L. de Jure belli, & pacis in disc. prælim. §. 18. & l. 1. c. 1. §. 14.

argumento illi, quòd Jus Gentium alterum non præcipiat aliquod ad honestatem necessarium, neque huic intrinsecè, & necessariò oppositum prohibeat. Sed de hac re plura dabimus in tomo secundo.

II. Cum Puffendorffio major, quàm in præcedenti, nobis est discrepantia: in eo videlicet, quod velit ipse, legis naturalis præcepta nonnisi actus externos dirigere, eosque tantùm præcipere. Sic enim asserit (1): *Juris naturalis scita ad forum duntaxat humanum adaptantur, quòd ultra hanc vitam sese non extendit; quæ ipsa (scita juris naturalis) multis in partibus prævè ad forum divinum applicantur, circa quòd Theologiæ maximè curæ est. Et statim §. sequenti: Ex quo & illud fluit, ut, quia forum humanum circa externas tantùm hominis actiones occupatur, ad ea autem, quæ intra pectus latitant, nec aliquem effectum, aut signum foras producant, non penetret, adeoque nec circa eadem sit sollicitum: Jus naturale magnam partem circa formandas hominis actiones versetur. At theologiæ morali non sufficit, exteriores hominis mores utcumque ad decus composuisse: sed in eo maximè laborat, ut animus, ejusque motus interni ad placitum Numinis fingantur.*

Ex quibus illud conficitur, distingui ita ex Puffendorffii mente utramque facultatem hanc, videlicet *Theologiam moralem*, & *Jus naturale*, ut non modò in principiis, sed etiam in objecto discrepent: nimirum ut Jus naturale versetur tantùm circa actus externos, eorumque rectitudinem dirigat, & præcipiat: actuum verò internorum rectitudinem à Theologia morali debeat unicè repeti: *ne videlicet confundantur, ait, disciplina diversæ more papistico, & cum Scholasticorum grege misceantur quadrata rotundis.*

Hæc sane Puffendorffii asserta in Jure naturali constituendo Leibnitzii in primis, hominis ceteroqui Lutherani, censuram acerrimam meruere, in epist. censoria ad Molanum

(1) In præfat. lib. de Offic. hom. & civ. §. 6. vel 8.

num §. 7. *Itaque neque illud admittendum est, quod insinuat Auctor ( Puffendorfius ) : quæ intra pectus latitant, nec foris prorumpunt, ad Jus naturæ non pertinere : qua ratione ex mutilato sine Juris naturæ, etiam objectum ejus nimis contrahi, manifestum est.*

Pluribus deinde capitibus errorem Puffendorfiarum excitat Leibnitzius, quæ tamen eludere frustra conantur illius defensores Weberus, Barbeyracius, & alii. Sunt censuræ non contemnenda capita hæc: 1. quod sine ratione Juris naturæ materia contrahatur. 2. quod non christiani Philosophi tantum, sed & ethnici solo rationis lumine de actibus internis leges præscripserint in Philosophia morali. 3. quod consequenter Philosophi ethnici cum ipso Aristotile Philosophiam nobiliorem, sanctioremque docuerint, quæ apud Christianorum manus degenerabit. 4. ad hominem contra ipsum Puffendorfiarum, quod nulla esset vis jurijurando, si internorum nulla cura esset in I. N., contra ac asserit Puffendorfius. 5. quod vitia grassarentur in Adolescentium mentibus, si apud Parentes, aut Instructores morum ex jure naturæ, nulla esset cura instruendi eorum animos præceptis virtutum. 6. quod licet metu externæ poenæ, aut præmii aliquis contra Rempublicam non peccet, & pravæ cogitationes comprimatur: tamen non efficiet, ut proficiat; & sæpè saltem officii omissione peccabit. Unde concludit Leibnitzius: *ut aded etiam parùm tuta, aut facilis sit hypothesis, quam Auctor noster ( Puffendorfius ) constituit, animi intus pravi, foris innoxii.*

Sed contra Puffendorfiarum facit quàm maximè ratio illa, a nobis paullo superiùs in hac eadem dissertatione proposita. Siquidem si lex naturalis præcipit servandum, vel vitandum omne id, quod recta ratio dicat; & idcirco vivendum conformiter ad naturam rationalem: sequitur inde, perperam, & inconsultè excludi a lege naturali actus internos, quos utique dirigit recta ratio, quique esse possunt  
vel



vel conformes naturæ rationali, vel difformes. Accedit; quod actus externi adeo ab actibus internis pendent, ut nonnisi per istos denominationem participant honestatis. Quare concludendum est, legem naturalem non modò actus externos respicere, verùm etiam internos.

Sunt idcirco legis naturalis objectum proprium, ac primarium officia hominis *interna* erga Deum, erga seipsum, erga proximos; ut videbimus. Et quamvis Puffendorfius (1) velit, actiones hominis *internas* spectare ad Ethicam, non verò ad Jus naturale:; Scholastici, & fermento Scholasticorum infecti Theologi, Jureconsulti, & non pauci Philosophi malè faciunt confundentes Theologiam moralem cum Jure naturali, adhuc nihilominus ipsæ etiam actiones internæ spectant ad Jus naturale sub diverso respectu. Etenim *Ethica* actus humanos internos dirigit juxta regulas *honestatis moralis*: Jus verò *naturale* eisdem respicit sub ratione *Justi*, & dirigit juxta regulas justitiæ: essetque Jus naturale satis imperfectum, & omnino inefficax sine his actibus. Videat ergo Puffendorfius, utrùm rectiùs ratiocinentur Catholici, & sapientiores Scholastici, an ipse? Verùm de Puffendorfianæ ratiocinationis infirmitate hac super re redibit infrà sermo.

Conantur Puffendorffium defendere ejus Asectæ, agentes, ipsum voluisse accommodare disciplinam Juris naturalis tantùm foro humano: hoc autem non nisi de actibus externis judicat, licèt non excludat internos; hos verò Puffendorffium *ad forum divinum spectantes supposuisse*. Verùm malè sic defenditur Puffendorffius, & defensio reipsa non subsistit. In primis Puffendorffius pluribus in locis mentem suam circa hoc suum Jus naturale explicans, asserit, velle se tradere Jus naturale undequaque absolutum, prout complectitur omnia ad illud spectantia; Et (2) apertè pro-

Tom. I.

T

testa-

(1) Loc. cit. & in spicil. c. 1. §. 29. & c. 2. §. 10.

(2) In specim. controv. c. 1.

testatur: *se omnia, quæ ad disciplinam Juris naturalis pertinent, complexurum, & in ordinem non hiulcum, ac salebrosum digessurum.* Quare is revera fuit Puffendorffii animus, ut putaret, actus internos quoscumque in Jure naturali superfluos esse, quin & religionem ipsam erga Deum non magni faciendam, nisi *quæ cum felicitate temporali, usuque Civitatum congruat.* Sunt enimvero ejus aperta dogmata (1) *Prærogativam religionis Luthericæ (a se approbatam) in eo consistere, ut honorum operum summa officio boni viri (scilicet ad extrinseca ritè compositi) definita sit.* Et (2) alibi scribit: *quænam sit illa morum honestas, & innocentia ubique, & extra societatem servanda, seu citra reflexionem ad alios homines, nondum dispicere potui.* Quid clarius ad rem desiderari potest; ac pariter quid iniquius de vero erga Deum cultu, deque recta morum honestate? Deinde falsum omnino est, forum humanum non judicare etiam de actibus internis, unde fluunt externi. Non enim forum humanum respicit nudè solos actus externos, sed hos respicit immediatè, ac directè: internos verò, qui illos imperant, mediatè, & veluti indirectè, sed tamen respicit.

Malè etiam ipsemet Puffendorffius se tuetur per hoc, quòd Jus naturæ non proponit remedia vel cohibentia actus internos adversus Jus naturæ commissos, vel purgantia ipsos actus internos (3): *Unde quæ ad forum internum spectant, ad Theologiam remittere placuit, quæ præter cognitionem peccati, etiam expiationem docet:* Malè, inquam; Nam Jus naturæ proponit utraque remedia proportionata lumen naturali. Et quidem ipsamet cognitio Dei Auctoris naturæ obligantis ad servandum id, quod recta ratio dicit, est remedium cohibens actus internos pravos contra legem naturæ. Rursus exhibet etiam remedia expiantia  
actus

(1) In l. de statu Imp. Germ. c. 8. §. 7.

(2) In sua Apol. §. 34.

(3) In spicil. c. 2. §. 13.

actus pravos committos, non quidem *condigna*, quæ ab homine dari nequeunt, sed *naturalia*. Hujusmodi est detestatio actus pravi displicentis Deo, qui sanè est ex se, & naturaliter valdè proportionatus ad satisfaciendum Deo, & aptissimus ad veniam impetrandam: ut dicemus loco suo. Sanè S. Thomas (1) ait: *De Jure naturali esse, quoddam aliquis penitentat de malis, quæ fecit*. Actus proinde Penitentia, quantum homini est possibilis, est de Jure naturæ. Idcirco docuit Suarez (2): *Præceptum satisfaciendi Deo pro injuria illata per peccatum, naturale est*. Falsum igitur est, non posse in Jure naturæ dari remedia prædicta, quæ sunt lumini naturæ consona; non sunt autem remedia condigna, quæ exhibere non potest homo viribus naturæ; sed etiam adjutus Gratiâ potest satisfacere de *congruo*, ut ajunt Theologi, seu *imperfectè* Deo propter gravem offensam ipsi illatam.

At cuinam usui foret in vita civili Jus naturæ respiciens actus internos? Sic Fridericus Kayser in thesi Puffendorfiana. Judices enim humani ferre debent sententiam de actibus externis. Verùm summopere, ut suprâ dixi, & nunc iterum repeto, adverti debet in vita civili ad actus internos. Idcirco Jus naturæ respicit, quoad vitam civilem, non solum actus externos, sed internos etiam, a quibus efficaciam suam sumunt externi. Est itaque foro humano conveniens, & necessarium Jus dirigens utrosque actus; & Judices humani, si optimum ferre velint judicium, respiciant necesse est potissimum actus internos, quos una cum externis conjunctos expendant, & judicant, ut mox dicam.

III. His itaque explicatis; plura consequuntur ad rem moralem utilissima. Et primò: Si lex naturalis respicit actus internos, non sufficit implere legem per actum merè externum, sed requiritur præterea, ut accedat actus internus conformis; pari modo qui per actum externum legem na-

T 2

tu-

(1) 3. p. q. 84. ar. 7. ad 1.

(2) De Pen. in 3. p. q. 90. disp. 15. ar. 4. sect. 3. n. 4.

turalem transgreditur , nisi actu etiam interno id faciat ; non est propriè dicendus legis violator . Sic qui præceptum *invincibiliter ignorat* : vel etiam qui *ebrius est* , vel *dormiens* , vel *usu rationis carens* , vel *impotens* ; etiamsi contra præceptum actu externo agat , non violat præceptum , nec peccat : quia actu interno non concurrat ad præcepti violationem .

Pari modo requiritur actus internus , *ut impleatur verè Præceptum* , si est *affirmativum* . Idcirco requiritur 1. ut actus fiat ex sufficienti cognitione actus ipsius præcepti , scilicet actus non esset actus humanus , ut suprâ dictum est . 2. ut fiat liberè , & spontaneè propter eandem rationem . 3. ut fiat cum omnibus circumstantiis requisitis ad honestatem , & præcipuè propter motivum honestum , & hoc intelligitur sub ratione modi virtutis , quando dicitur : *legem naturalem obligare etiam ad modum virtutis* .

Quare , ut lex naturalis impleatur quoad Præcepta negativa , sufficit sola negatio actus prohibiti , & idcirco Voluntas non faciendi id , quod prohibitum est , bona est , & per hanc voluntatem optimè adimpletur quodcumque Præceptum negativum .

Vis præterea , & efficacia legis naturalis non modò ad præcipiendos , vel prohibendos actus internos se extendit ; sed etiam ad irritandos aliquos actus , seu ad reddendos actus illos non solum malos , sed etiam irritos , ac nullius valoris , ac si non essent in ordine ad effectum , ad quem diriguntur . Sic puta secundum matrimonium initum , superstitite adhuc priori conjuge , est ex jure naturæ non modò malum , sed & *irritum* , & nullam habens vim : utpote traditio rei non suæ .

Ut autem dignoscatur , quandonam actus ceteroquin prohibitus , & idcirco malus , sit jure naturæ irritus , an verò sit validus : duæ traduntur regulæ a Theologis (1) . 1. est ,  
quan-

(1) Vid. Suarez de leg. l. 2. c. 12. n. 4. & 5.

quando actus prohibetur jure naturæ, quia jam supponitur in operante *defectus potestatis*, vel ipsius *materiæ incapacitas*: in hoc casu actus est omnino irritus, & nullus ex natura sua. Sic esset donatio ejusdem rei post priorem donationem validam, & perdurantem: quia ille, qui denuo donat, vel tradit, jam non habet potestatem in rem donatam priori, qui illam accepit. Propter hanc rationem irritum est, ut dixi, secundum Matrimonium contractum vivâ priori conjuge. At si res sit tantum promissa uni, ac deinde donata alteri; quamvis actio sit jure naturæ prohibita, & mala: cum promissio obliget in jure naturæ; non est tamen donatio facta irrita jure naturæ: quia ex vi promissionis factæ non fuit dominium rei translatum in Promissarium, sed perseverat adhuc in Promittente jus rei, adeoque potestas moralis donandi rem alteri.

Pari modo irritus est contractus, seu consensus quilibet per dolum substantialem (ut sic dicam) extortus: quia dolus impedit verum consensum, & actus positus est involuntarius, ut diximus. Atqui, ut potestas moralis proprium effectum fortiatur, requiritur voluntas: secus potestas non operatur, prout debet. Sic qui putat, se matrimonium contrahere cum Bertha, & defacto cum alia contrahit, volens cum illa omnino contrahere: contractus est jure naturæ irritus ex defectu voluntatis in operante.

2. Regula est: quando actus prohibetur a naturæ lege propter indecentiam, vel turpitudinem in ejus materia existentem; eademque turpitudinem perseverat in effectu ipso: quod a Juristis dicitur, habere *causam perpetuam*: actus in tali casu est irritus jure naturæ. Sic est Matrimonium initum inter consanguineos in 1. gradu: Licet enim ibi non desit potestas, seu dominium sui ad se tradendum in matrimonium: nec desit voluntas ex parte contrahentium; tamen illa naturalis indecentia, quæ reddit tale Matrimonium prohibitum, perpetuò durat, si matrimonium tale duret; nec potest

potest unquam cohonestari; ideo ipsa *permanencia prohibita* est: quod sanè est, matrimonium illud esse jure naturæ irritum. Etenim in isto casu Jus naturæ prohibet *valorem* talis actûs: quia habet eamdem causam turpitudinis. Ubi verò actûs ipsius *valor* est contra Jus naturæ, a nemine fieri potest, ut actus sit *validus*, cùm illi resistat semper Jus ipsum Superioris. Quare irritus semper est actus ille.

E contrario verò, si Jure naturæ prohibeatur actus aliquis, potestas autem detur sufficiens ad illum actum, & effectus possit permanere sine turpitudine, & cum honesto usu, saltem in aliqua circumstantia: actus erit malus, sed non irritus jure naturæ. Sic matrimonium initum contra votum simplex castitatis, quod est simplex promissio castitatis facta Deo, est prohibitum jure naturæ, non verò irritum. Etenim votum simplex concipitur non abstulisse potestatem, licèt illam veluti ligaverit, tradendi scilicet corpus suum: at verò matrimonium jam contractum majorem habet efficaciam, utpote actualis *transmissio*, quàm sola simplex *promissio* in voto: & tandem habere potest *honestum* usum in *redditione*, non in *petitione* debiti, ut patet.

Eadem ratione: Venditio injusta dat perpetuam obligationem restituendi excessum pretii. Eo autem restituto, cessat turpitudine in valore, & perpetuitate talis contractus; & idcirco contractus non est simpliciter irritus, licèt sit jure naturæ malus.

Esset hic locus, expendendi an *actus permissus* sit, aut esse possit de Jure naturæ? Sed de hoc agam in dissert. VIII.

## DISSERTATIO VI.

*Plura Legis naturalis Attributa . An ea sit , quæ mutari non possit ? An aliquando humana Potestas possit Legem naturalem abrogare , minuere , aut dispensare ? Quid de divina Potestate dicendum sit ? Ubi potissimum de Polygamia .*

I. **P**OST exhibitam juris naturæ existentiam , ejusque objectum : consideranda veniunt plura Legis ipsius naturalis attributa , ut Lex ipsa intimiùs dignoscatur . Primum omnium est Legis ipsius *unitas* . Quamvis enim plura sint in I. N. præcepta , sive hæc ad principia spectent , & generalia sint ; sive ad consuetaria ex illis , quæ particularia dicuntur : tamen *una* esse dicitur , tum ratione unius naturæ rationalis *Auctoris* , a quo procedit : tum ratione *finis* unius , nimirum *felicitatis* ipsius naturæ rationalis , quam intendit Lex ipsa naturalis , & ad quam ipsa dirigit naturam rationalem .

Secundum Legis naturalis attributum est *uniformitas* . Hoc videlicet nomine intimam , atque ubique semper eandem vim obligandi in ipsa lege intelligimus . Sanè omnia I. N. præcepta eundem habent obligandi modum , omnes pari modo homines , ubicumque existentes , & pro quovis tempore obstringunt . Siquam pati visa sunt legis naturalis præcepta circa obligandi modum imminutionem ; non in ipso Jure naturali , sed in materia Juris ipsius mutationem esse factam , videbimus infra .

Tertium est *universalitas* . Non enim a lege naturæ fieri potest exceptio ulla Personarum , aut cogitari aliqua exemptio , pro quolibet hominum genere , conditione , gradu , dignitate , etiam supremâ . Omnes omnino homines , in quibus

quibus est recta ratio naturæ rationalis , huic legi obnoxios esse , certum est .

Quartum est *Evidentia* . Ignorantiam idcirco , quæ invincibilis dicitur , circa prima principia dari posse , communiter negatur : circa conclusiones , etsi dari possit ; tamen longo tempore non durare , verosimile censetur .

Quintum est *Excellentia* . Hæc utique Lex inter omnes alias excellit adeo , ut earum sit veluti *norma* . Si enim ab ea deflectatur in condenda lege ; non lex , sed iniquum decretum constituetur . Tomo secundo ostendam , quomodo & in Lege naturæ potiora Juris civilis fundamenta aliquo modo sint constituta . Sanè Ulpianus (1) ait : „ Jus civile „ constitui , addendo aliqua Juri naturali „ .

Sextum tandem Legis naturalis attributum est *Inmutabilitas* , seu *Perpetuitas* . De hac autem agendum est fusiùs .

Supradiçta verò attributa distinguunt Legem naturalem a qualibet alia *Lege positiva* , quæ vel Homines habeat Auctores , vel Deum sub alio tamen respectu : quæque rursus non respiciat ea , quæ intrinsecam honestatem , vel inhonestatem habent , quemadmodum lex naturæ ; & idcirco non cordi inscripta dicitur , sed scripto tradita , vel usu recepta , aut traditione , aut consuetudine . Neque tandem habeat pro fine necessariam felicitatem naturæ rationalis in recta ejus constitutione , & pro fine ultimo Deum ipsum infinitè perfectum , naturæ rationalis Conditorum , & Gubernatorem ( qui est finis Legis naturalis ) : sed immediatè alios habeat fines pro varietate legum ipsarum , & remotè conducat ad communem felicitatem .

Ut autem legis naturalis probè constituatur , & benè concipiatur *Inmutabilitas* : explicari oportet , quid hujusmodi *Inmutabilitas* sit ? Hæc sanè est quidam *status permanentiæ rei in eodem esse tum absoluto , tum respectivo* . Jamverò opus est ( ut hoc ulterius dignoscatur ) explicari , quid rei sit

(1) L. Jus civile ff. de Just. & Jure .



fit *mutabilitas*? Siquidem philosophicum valet illud: *Oppositorum eadem est ratio*. Est utique *mutabilitas status deficientiæ rei ab eodem esse sive absoluto, sive respectivo*. Nimirum: si res consideretur *in seipsa*, & deficere in aliqua sui parte cognoscitur; mutari dicitur *in suo esse absoluto*. Si verò consideretur, *prout habens respectum ad alia*, & cognoscitur deficere ab aliqua proprietate dicente relationem ad illa: dicitur *mutari in suo esse respectivo*.

Jamvero Lex, generatim loquendo, mutari potest in *suo esse absoluto*, si penitus abrogetur per potestatem, habentem eandem vim, ac habet potestas illa Legislativa. Hujusmodi mutatio, ut patet, est legi extrinseca. At Lex quælibet non potest tota deficere in suo esse absoluto, nisi per omnimodam abrogationem. De se enim Lex dicit perpetuitatem temporis; nec de se traditur tantum pro certo tempore, ut diximus: unde per alienam voluntatem cessare debet. Sic in legibus positivis fieri consuevit, quando scilicet Lex in univertum tollitur, & absolute abrogatur. Huc reduci aliquo modo potest abrogatio legis positivæ *per contrariæ consuetudinis præscriptionem*.

Potest etiam mutari lex in suo esse absoluto non modo *in univertum* per abrogationem jam dictam: sed etiam pro *Persona aliqua particulari*, per modum *dispensationis*, immutatâ tamen manente legis naturâ. Fieri enim potest relaxatio legis Personæ alicui particulari ex causa, quæ sola non sufficit obligationi tollendæ; si enim causa talis esset, ut sufficeret ad tollendam Personæ illi obligationem, tunc non esset *dispensatio*, sed dici deberet propriè *interpretatio* legis de nulla obligatione; non vera relaxatio obligationis, quæ supponitur adesse. Quare notant Auctores (1), *Dispensationem* propriè fieri, quando Legislator purè ut Legislator restringat legem eadem potestate, quâ tulit ipsam: & Personam aliquam subducat legi, ceteris, quæ in eodem

Tom. I.

V

sunt

(1) Suarez l. 2. de leg. c. 15. Martinonus disp. 25. n. 48.

sunt casu , remanentibus lege obligatis . Ex quo deducere licet , non alium posse in lege dispensare , nisi vel Legislatorem , vel eâdem pollentem potestate legislativâ . Unde ridiculum est illud , quod vulgo dicitur , *Medicos in lege jejunii dispensare* : cum ad ipsos non spectet , nisi causam physicam expendere in conscientia , utrum sola sufficiat obligationi jejunii tollendæ in casu aliquo particulari ; quæ est interpretatio Legis de nulla obligatione pro casu illo : & , ubi de causa physica sufficiente ad tollendam obligationem aliquo modo dubitatur , accedat , necesse est , superioris dispensatio .

Si verò Lex decursu temporis ex utili fiat noxia , ex rationabili fiat irrationabilis , aut ex alio capite diversa appareat , ac fuit sub initium lata : tunc dicitur Lex mutari in *suo esse respectivo* . Neque mirum videri hoc debet : Siquidem potest accidere , ut tota lex non perduret cum omnibus illis proprietatibus moralibus , quibus fuit constituta : nimirum ut evadat *irrationabilis* , & *noxia* in damnum cedens communitatis ; non quidem *ratione sui* , secus deficeret in suo esse *absoluto* : sed ratione totius objecti , quod respicit . Si enim , puta , respectu subditorum non esset amplius conveniens lex illa propter notabilem subditorum mutationem , consequenter non duraret judicium illud de rationabilitate legis illius , ac de illius utilitate : in hoc rerum statu lex illa diceretur deficere a suo esse *respectivo* , & proinde non permaneret amplius lex respectu illorum , ad quos antea erat revera lex . Pari modo si deficeret ex integro totum objectum , quod respicit lex , ut si deficerent subditi , in eo casu deficeret lex in suo esse *respectivo* . Non ita tamen si hæc mutatio fieret respectu alicujus subditi in particulari , videlicet pro casu aliquo particulari : tunc enim lex duraret adhuc in suo esse *respectivo* ; licet ille subditus ex ea ratione videretur constitutus extra limites legis , ad quem scilicet aliquo modo lex non extenderetur . Sic lex præcipiens ,

*depp-*

*Depositum esse reddendum*, etsi pro aliquo casu non urgeat, quando videlicet ille uti velit re deposita in reipublicæ detrimentum; adhuc lex non mutatur de facto, sed casus ille a legis obligatione eximitur: Lex enim non obligat pro eo rerum statu.

Utraque etiam hæc mutatio dari potest vel in tota lege, vel in aliqua legis parte. Nimirum si tota lex abrogaretur a superiore: aut tota evaderet noxia, vel irrationalis, vel inutilis, scilicet quoad omnia præcepta; tunc fieret mutatio in tota lege vel quoad esse absolutum in primo casu, vel quoad esse respectivum in secundo; Si verò abrogaretur pars legis, alterâ vim suam retinente; vel fieret noxia, irrationalis, inutilis pars quoad aliquod suum præceptum: tunc mutatio erit partialis legis.

Ex quibus facilè est deducere, legem habere materiam, seu objectum mutationi obnoxium. Hoc autem dici etiam potest de lege naturali. Sic est exemplum paulò superius propositum de lege naturali, reddendi depositum. *Si homo petens depositum uti velit illo in Patriæ detrimentum*, jam non est pro eo lex de reddendo deposito; fac, cesset voluntas adeo perversa, iterum mutatur objectum, & a lege illa respicitur.

Verùm non omnia legis naturalis præcepta habent objectum hujusmodi mutationibus obnoxium. Sic omnia præcepta universalis, *non sunt facienda mala*; vel aliquod etiam particulare, ut puta illud: *non est mentiendum*, sunt de objectis nullam patientibus prædictam immutationem.

Tandem non dicitur lex mutari, si aliquid illi præterea superaddatur. Integra enim illa manet lex, & potiùs per additionem novam aliquo modo perficitur in bonum commune. Sic lex divina positiva legi naturali superaddita in novo testamento naturalem legem perfecit.

II. His verò explicatis non sine magno operæ pretio, statuendum est primò quidem de lege naturali in suo esse

*respectivo*: deinde expendendum de ejus esse *absoluto*. Dicendum igitur: „ *Legem naturalem mutari non posse in suo*, „ *esse respectivo neque in universali, neque in particulari,* „ *manente naturâ rationali cum usu rationis, & libertatis* „.

Dixi equidem, *manente naturâ rationali cum usu rationis, & libertatis*; Si enim deficeret omnino natura rationalis, deficeret eo ipso lumen illud intellectus, in quo diximus consistere legem naturalem; lex autem hæc tantum remaneret in Deo tanquam quid possibile, quemadmodum & natura rationalis ipsa. Tunc etiam lex æterna nec haberet *in actu* rationem veræ legis; quia non esset, cui Deus præciperet. Pari ratione si deesset *usus rationis, & libertatis*, quæ ad ipsam legem naturalem requiruntur.

Positâ autem naturæ rationalis, prout nunc est, permanentiâ, lex naturalis pro nullo unquam tempore, & pro nullo rerum statu evadere potest *noxia, irrationabilis, inutilis* tum quoad omnia sui præcepta, tum etiam quoad aliqua. Siquidem sive spectentur prima illa morum principia, sive etiam particulares propositiones ex illis deductæ per necessariam illationem, utraque præcipiunt ea, quæ intrinsecè honesta sunt, & ea prohibent, quæ per se & intrinsecè sunt turpia. Consulitur idcirco semper in his præceptis sive positivis, sive negativis, sive universalibus, sive particularibus bono naturæ rationalis, ut patet. Non potest ergo pro ulla rerum serie lex hæc fieri *noxia*.

Sed neque evadere unquam potest *irrationabilis*. Agitur enim hic de judicio rationis prorsus *necessario*. Ita enim est judicium, quod fit de principiis illis universalibus, & par est judicium de particularibus, inde per necessariam conclusionem deductis. Non potest idcirco esse unquam *falsum, imprudens, aut irrationabile*. Judicium enim, quod verum est, prudens, ac rationale ex necessitate rei, nullo pacto fieri potest non verum, non prudens, non rationale ex principio contradictionis; & juxta Tertullianum, *ex veritatis integritate*. Tan-

Tandem nec potest unquam concipi, quòd evadat *inutilis*; si semel concipiatur perseverare naturam rationalem, ut diximus. Etenim hæc erit objectum hujus legis, quod lex respiciat, dirigat, & cujus bono consulat. Nunquam ergo erit *inutilis*. Legis naturalis perpetuam firmitatem, & constantiam assertam habemus a Lactantio (1) ubi etiam Ciceronis sententiam (2) citat: *Est quidem vera Lex, recta Ratio naturæ congruens, diffusa in omnes, constans, sempiterna, quæ vocet ad officium jubendo; vetando a fraude deterreat: quæ tamen neque probos frustra jubet, aut vetat, nec improbos jubendo, aut vetando movet. Huic legi nec propagari fas est; neque derogari ex hac aliquid licet, neque tota abrogari potest. Nec verò aut per Senatum, aut per Populum solvi hac lege possumus. Nec erit alia lex Romæ, alia Athenis, alia nunc, alia posthac; sed & omnes Gentes, & omni tempore una lex & sempiterna, & immutabilis continebit; unusque erit communis quasi magister, & imperator omnium Deus; Ille legis hujus inventor, disceptator, lator, cui qui non parebit, ipse se fugiet, ac naturam hominis aspernabitur; hoc ipso luet maximas pœnas, etiamsi cetera supplicia, quæ putantur, effugerit.*

Neque contra hoc assertum aliquid solidi proferri potest; & siquid specie tenus oppositum pronunciat, optimam ex prænotatis habet explicationem. Idcirco ubi S. Thomas (3) ait: *Legem naturalem posse mutari, & in aliquo particulari, & in paucioribus propter aliquas speciales causas*, intelligi debet de mutatione facta in objecto legis, quod propter speciales Causas eximitur a lege. Exemplum, quod statim profert, hoc evidenter probat; est enim a lege Depositum desumptum: *quòd Deposita sint reddenda; & hoc qui-*

(1) L. 6. de vero cultu c. 6.

(2) L. 3. de Rep.

(3) I. 2. q. 94. ar. 5.

quidem in pluribus verum est, sed potest contingere in aliquo casu, quod sit damnosum, & per consequens irrationabile, si deposita reddantur: puta si aliquis petat ad impugnandam Patriam. In hac autem hypothese, & similibus, diximus, nullam fieri mutationem in lege: non enim lex tollitur, neque minuitur, neque evadit noxia, irrationabilis, inutilis, sed in suomet statu perseverat, prout erat; excepto casu isto, qui ex illa circumstantia a lege eximi dignoscitur.

Inde autem ne deducas, pro casu isto legem de reddendo deposito esse, aut dici posse noxiam, irrationabilem, inutilem: Siquidem casus iste, prout exprimitur, nunquam fuit legis illius objectum. Explico hoc clarius: Lex naturalis existens in hominum mentibus non semper generalibus iis, atque indefinitis formulis dicitur, quibus sæpissimè a nobis profertur sive in loquendo, sive in scribendo. Verum quidem est, aliquando per generales, indefinitasque formulas dicitari in animis nostris, ut puta: non est malè agendum, non est mentiendum: aliquando tamen, licèt exprimitur a nobis simili formulâ generali, & indefinitâ, non eâdem indefinitâ intelligentiâ dicitur, sed cum limitatione, & circumspetione. Lex hæc, reddendum est Depositum, exprimitur vocibus indefinitis, tamen quatenus naturalis est, non eodem modo simpliciter, & indefinitè in mente judicatur, sed adjectâ limitatione. Dicitur enim ratio, reddendum esse depositum petenti jure, & rationabiliter, ubi nimirum ratio justæ defensionis non obstat, vel reipublicæ, vel sui ipsius, vel innocentis. Pari modo intelligenda hæc alia lex, non occides; scilicet auctoritate privatâ, non autem publicâ, neque ad justam sui ipsius defensionem ab injusto aggressore, neque a milite in bello justo pro republica. Quare verissimum est pronunciatum illud a Theologis admissum: quod legis naturalis nonnulla præcepta, quamvis formulis generalibus exprimantur, tamen sub pluribus debeant intelligi limita-

mutationibus, & conditionibus; ita nimirum, ut in iis casibus legis illius præceptum non obliget, quia sunt casus in lege ipsa excepti, ut patet in adductis exemplis, aliisque compluribus.

Inde autem clara erit ratio, quare nimirum aliquando fiat mutatio *in uno objecto* legis, aliquando mutatio hæc fiat *in omni objecto* legis; & quid sit discriminis in utroque casu? In primo enim casu perdurat lex *necessaria, rationalis, utilis* respectu aliorum objectorum de facto existentium. At in secundo casu, non ita; puta, si ponatur, *omnes omnino subditos*, qui sunt objectum legis, ita ex novis supervenientibus circumstantiis permutari, ut lex illa prius utilis, rationalis, necessaria, evadat respectu *omnium* illorum inutilis, irrationabilis, imò noxia; clarè patet, non durare amplius legem illam, cum designari non possit homo, cui lex illa sit vera lex, scilicet necessaria, utilis rationalis. Idcirco ex defectu objecti *totius*, seu *materiae totius*, quam lex respicit, lex desinit esse talis, & consequenter mutatur a statu ad non statum. Idem accideret, si omnis omnino natura rationalis periret, nempe lex naturalis nulla amplius esset *propter defectum objecti*.

Quare in particulari quodam casu, qui a lege excluditur, nihil fieri debet, nisi explicari legem ipsam, ejusque intimam vim: quâ facta explicatione & quidem per rectum rationis lumen, manifestum fiet, ad legem non pertinere casum illum. Quemadmodum de Præcepto *non occides* diximus respectu Carnificis. Explicatio, ut dixi, legis naturalis fit ex lumine ipso rationis, quo sanè noscimus in objectis mutabilibus, quid lex præcipiat pro uno, quid pro altero rerum statu; quin eo ipso lex ullam in seipsa mutationem patiatur. Sic, qui aliquid se facturum promissit, si deinde, mutatis *notabiliter* circumstantiis, promissionem non implet; non ex eo dici debet, a se ipso defecisse, aut legem fidelitatis servandæ fuisse mutatam, sed  
totam

totam in objecto exitisse mutationem; quam quidem in ipsa promissione fuisse subintellectam, certum est, & virtualiter exceptam; atque ita non est culpandus homo ille promissa non solvens, nec a fidelitatis lege quidquam defecisse putandus est.

III. Sed inspiciamus modò, an „ *Lex naturalis possit* „ *per humanam quamcumque potestatem sin minus tota, saltem ex parte abrogari, minui, aut dispensari* „ ?

Profecò lumine ipso naturali Tullius pluribus in locis apertè negavit, posse id in lege naturæ contingere. Suprà ex Laëtantio locus Ciceronis relatus est satis quidem clarus.

Rursus alibi ait (1): *Legem neque hominum ingeniis excogitatam, neque scitum aliquid esse Populorum, sed aeternum quiddam, quod universum Mundum regat.*

lb. *Nec, si regnante Tarquinio, nulla erat Romæ scripta lex de stupris, idcirco non contra illam legem sempiternam Sextus Tarquinius vim Lucretiæ attulit. Erat enim ratio profecta a rerum natura, & ad rectè faciendum impellens, & a delicto avocans: quæ non tum denique incipit lex esse, cùm scripta est; sed tum, cùm orta est; orta autem est simul cum mente divina.*

Item (2): *quòd si Populorum jussis, si Principum decretis, si sententiis Judicum jura constituerentur: Jus esset latrocinari, Jus adulterare, Jus testamenta falsa supponere, si hæc suffragiis, aut scitis multitudinis probarentur. Quæ si tanta potentia est stultorum sententiis, atque jussis, ut eorum suffragiis rerum natura vertatur: cur non sanciant, ut, quæ mala, perniciosaque sunt, habeantur pro bonis, & salutaribus? Aut cur, cùm jus ex injuria lex facere possit, bonum eadem facere non possit ex malo?*

Hoc ipsum, quod Tullio prudentissimâ ratiocinatione  
visum

(1) L. 2. de Leg.

(2) Lib. 1. de Leg.



vifum est, nobis etiam videtur: „ non posse scilicet in le-  
 „ gem naturalem totam, neque in aliquam ejus partem cadere  
 „ ex humana quavis potestate abrogationem, imminutionem,  
 „ aut dispensationem „. Quod sanè patet ex intima legis ipsius  
 naturalis inspectione. Etenim legis naturalis obligatio in du-  
 plici hoc titulo veluti innititur: primò quia, quæ ab ipsa  
 jubentur, habent intrinsecam, & necessariam honestatem:  
 & ab opposito quæ lege naturali prohibentur, habent intrinse-  
 cam, & necessariam turpitudinem: secundò & potissimum quia  
 procedunt a voluntate supremi Domini Legislatoris, qui est  
 Deus. Itaque, utroque hoc fundamento perseverante, vigere  
 semper necesse est legis naturalis obligationem. At verò quæ-  
 nam humana potestas intrinsecam rei honestatem mutare po-  
 test, aut prævalere contra supremi Legislatoris voluntatem?  
 Permanebit itaque semper utrumque hoc fundamentum contra  
 quamcumque humanam potestatem; & consequenter non po-  
 test Lex naturalis sive tota, sive ex parte abrogari, minui,  
 aut dispensari ab humana qualibet potestate.

Quamvis autem primo adspectu videatur dispar esse ra-  
 tio inter prima Juris naturalis principia, & particulares il-  
 las propositiones, quæ ex illis principiis per necessariam il-  
 lationem deducuntur ex vi solius rationis: adhuc nihilomi-  
 nus in quibuslibet præceptis naturalibus quoad hoc eadem  
 est ratio partis, ac totius. In propositionibus enim neces-  
 sariis juxta Dialecticos, quæque versantur in materia neces-  
 saria, ac naturali non minus repugnat falsitas unius sin-  
 gularis, ac totius universalis. Jamvero omne præceptum  
 legis naturalis est in materia necessaria, & naturali, con-  
 tinetque absolutam veritatem ex natura rei necessariam.  
 Quare, si patet ex lumine naturali, abrogationem, immi-  
 nutionem, aut dispensationem non posse dari in præcepto  
 naturali universali, neque dari potest in ullo singulari.

Ratio etiam procedit, concipiendo *dispensationem* ex

causa aliqua legitima factam a Superiore humano, habente a Deo potestatem dispensandi. Siquidem in primis, ut infra dicemus, Deus ipse, jure utens ordinario, non potest in aliquo ex naturalibus præceptis dispensare. Non est itaque, quonam modo auctoritate Dei id faciat homo? Neque enim ad bonam, & convenientem Universi gubernationem pertinet hujusmodi dispensatio. Quanam autem ratione Deus *supremo sua dominio* utens, & *extraordinariâ potestate* visus sit, aliquam fecisse in traditis præceptis naturalibus mutationem, patebit inferius.

Exigit hîc locus, nonnulla explicare, quæ ex jure ecclesiastico procedunt, & traditæ a nobis doctrinæ videntur adversari. Romani Pontificis potestas visa est aliquando in aliquibus, quæ *Juris naturalis* sunt, dispensasse, idque licitè, nedum validè: videtur proinde, ex divina illi tradita facultate id fecisse.

Atque primò: in *Votis* Deo factis, & in *Juramentis* dispensat: horum autem obligatio lege naturali præscribitur: siquidem ex Jure naturali urgetur homo ad præstandum id, quod Deo promisit, vel sub Dei testimonio promisit.

Rursus secundò: *Matrimonium ratum* jure naturæ est insolubile: contractus enim conjugalibus ex vi naturæ obligat ad individuum vitæ consuetudinem. Tamen exempla sunt Pontificum plura, in matrimonio rato dispensantium. Duodecim Pontifices enumerat Pichler (1), de quibus, subdit idem auctor, *asserere in re tanti momenti errasse, prorsus temerarium videtur.*

Tertiò: *Residentia* Episcoporum ex Concilio Tridentino (2) est de Jure divino, & etiam naturali, cum sine ea obiri non possit munus pastorale modo debito; ut res ipsa postulat. Jamvero Pontifex in ea obligatione dispensat; & sic dicitur in indultis Pontificum.

Quar-

(1) In Jur. Can. l. 4. tit. 19. n. 6.

(2) Sess. 23. c. 1. de reform.

Quartò: Dispensasse Pontificem, auctor est Angelus (1) in *impedimentis* matrimonium irritantibus Jure naturæ: ut in Matrimonio inter Fratrem, & Sororem.

In his autem omnibus, & similibus casibus, quamvis concedere velimus, eos deduci a Jure naturali per *necessariam* illationem (quod sanè non est certum saltem de aliquibus): adhuc duplici modo potest responderi, ut simul facta & tecta sint ea, quæ certa sunt de firmitate legis naturalis, & modus adhibeatur licitus decretis Pontificum. Primò enim dici potest: in factò aliquo particulari, inspectis omnibus circumstantiis, Pontificem declarasse, hominem illum ita constitutum non esse obnoxium legi, seu non esse objectum a lege unquam consideratum. Proindeque legem in toto suo jure semper permanere; nec hominem prædictum ex speciali aliquo privilegio a suæ legis obligatione, cui esset obstrictus, eximi (2). Quare nulla in eò factò est legis dispensatio, ut patet.

Secundò considerari potest res hoc alio modo, qui tamen in idem recidit: Lex naturæ, respiciens objectum potestati hominum subjectum, non inducit obligationem omnino absolutam, sed veluti *pluribus conditionibus* obnoxiam: quare, si conditiones illæ variantur, lex naturæ tunc cessat obligare, quæ sub aliis conditionibus obligabat. Jamvero quòd Lex naturæ sub *certis conditionibus* inducat obligationem, patet in pluribus: Sic Lex naturæ vult, homines omnes esse liberos, sed seclusis circumstantiis justì belli, in quo ex jure gentium (quod juxta aliquos non est idem cum Jure naturæ, nec tamen illi oppositum) victi fiunt servi, cum potuissent occidi. Rursus Lex naturæ prohibet occidi hominem, non tamen in circumstantiis de homine Reipublicæ noxio, & a Republica damnato. Et sic de innumeris hujusmodi legibus, de quibus supra; ubi nimirum ma-

X 2

teria

(1) V. Papa n. 1.

(2) Juvenii Instit. theol. par. 5. diss. 3. concl. 7.

teria legis pendet ab hominum potestate . In casu autem pontificiæ dispensationis , ut dicitur , potest in Pontifice considerari facultas , quam habet operandi nomine Christi , cuius vices gerit , & mutare materiam : quâ factâ mutatione , obligatio legis cessat ; non enim Lex obligabat sub illis circumstantiis , & conditionibus , in quibus materia nunc mutata reperitur .

Utramque hanc viam usurpare videtur S. Thomas pluribus in locis (1) : *Sic igitur Præcepta ipsa Decalogi , quantum ad rationem Justitiæ , quam continent , immutabilia sunt ; sed quantum ad aliquam determinationem per applicationem ad singulos actus , ut scilicet hoc , vel illud sit homicidium , furtum , vel adulterium , aut non : hoc quidem est mutabile , quandoque solâ auctoritate divinâ in his scilicet , quæ a solo Deo sunt instituta , sicut in Matrimonio , & in aliis hujusmodi ; quandoque etiam auctoritate humanâ , sicut in his , quæ sunt commissu hominum jurisdictioni ; quantum enim ad hoc homines gerunt vicem Dei , non autem quantum ad omnia .*

Et (2) rursus : *Auctoritate Superioris dispensantis fit ; ut hoc , quod continebatur sub voto , non contineatur ; in quantum determinatur in hoc casu , hoc non esse congruam materiam voti . Et ideo cum Prælati Ecclesiæ dispensant in voto , non dispensant in præcepto Juris naturalis , vel divini ; sed determinat id , quod cadebat sub obligatione deliberationis humanæ , quæ non potuit omnia circumspicere .*

Et ibidem (3) ait : *Ad hoc se extendit dispensatio Juramenti , ut id , quod sub Juramento cadebat , sub Juramento non cadat ; quasi non existens debita materia Juramenti .*

Pari ratione explicant Theologi de Matrimonio rato , ubi contractus humanus , qui est legis naturalis objectum , potest

(1) 1. 2. q. 100. ar. 8. ad 3.

(2) 2. 2. q. 58. ar. 10. ad 2.

(3) q. 59. ar. 9. ad 1. de Juram.

potest, sin minùs solvi auctoritate privatâ ex gravi detrimento communitatis; solvi auctoritate publicâ, ubi cognoscatur majus bonum reipublicæ: sic etiam propter ingressum in religionem, & propter cultum Dei; mutato autem objecto, seu resolutio contractu, Lex naturalis Matrimonii rati non obligat.

Pro casu *non residentia*, etsi velimus admittere, dari obligationem ex jure naturali, (quod non est certum) adhuc cum sit præceptum positivum, declarare potest Pontifex, pro illo dato tempore non obligare. Rursus pactum illud inter Ecclesiam, & Pastorem ex natura rei subordinatur auctoritati supremi Pastoris, habentis in illa Ecclesia excellentiorem potestatem, & curam: unde obligatio contracta veluti *conditionatè* cessat ad voluntatem Pontificis, aliter disponentis; cum præsertim alio modo provideat illi Ecclesiæ, ut fieri solet.

At in impedimentis irritantibus Jure naturæ Matrimonium, communis est Theologorum doctrina cum Suarezio (1) non posse a Pontifice dispensari. Sic Matrimonium *consummatum* dissolvi non potest ita, ut alter alteram simul ducat, vivente primâ: vel dissolvatur vinculum cum prima ad libitum, & ineatur cum altera. Atque ita putant, nunquam fuisse dispensatum in hisce impedimentis. De facto autem dispensationis inter Fratrem & Sororem (si verum est); dici potest, Pontificem in ea fuisse sententia, in qua sunt Gonzalez, Cajetanus, & alii apud Juenin (2) & Schwartzium (3) scilicet, *spectato juræ naturæ* nullum consanguinitatis gradum præter primum in linea recta Matrimonium reddere invalidum. Unde nec primum lineæ collateralis gradum impedimentis *Juræ naturæ* esse accensendum, sed *solo jure positivo* esse prohibitum hujusmodi Matrimonium. Quare in casu gravissimæ necessitatis posse validè

(1) L. 2. de Leg. c. 14.

(2) Loc. cit.

(3) P. 2. tit. 1.

lidè iniri; & Pontificem tunc temporis hoc declarâsse.

Non vacat ulteriùs immorari in percurrentis aliis similibus dispensationibus, cùm facile sit cuique, in factò quolibet cognoscere rei circumstantias, iisque optimam responsionem adhibere. Sic etiãsi Immunitas ecclesiastica quoad Personas in aliquorum sententia sit de Jure naturali, ut scilicet eximantur Ecclesiæ ministri a secularium jurisdictione, adhuc potest Pontifex in hoc ita derogare, ut, si quando laicis potestatem agendi in clericos largiatur, illòs veluti in suos administròs eligat, atque isti nomine illius agant. Sustentatio etiã ministrorum Ecclesiæ esse videtur de Jure naturæ, sed modus, & ratio ab humano arbitrio pendet.

Quæ hæcenus dicta sunt, satis evincunt Juris naturalis firmitatem respectu humanæ cujuslibet Potestatis: clarissimè enim demonstratum est, nemini fuisse concessam in abrogatione, vel diminutione, vel positiva dispensatione Juris naturalis facultatem ab auctore Juris ipsius Deo: an similiter dici possit de ipsomet Deo, nunc est inspiciendum.

IV. Ut autem eâ, qua par est, claritate procedatur, habenda sunt hic præ oculis tria genera Præceptorum legis naturalis; de quibus etiã suprâ loquuti sumus. Primum genus continet quædam universalissima principia, uti sunt, *Malum est fugiendum: Bonum est prosequendum*. Secundum habet quædam propositiones, quæ sint veluti conclusiones immediatè a dictis principiis deductæ; in hoc numero accensentur *Præcepta Decalogi*. In tertio genere alia præcepta clauduntur, quæ sunt a primis Principiis multo magis remota, in qua classe plures collocantur leges particulares, ut illa *de reddendo deposito, de non occidendo homine*.

Jamvero nequit ullo pacto controverti *de primis principis*. Siquidem certum omnino est, in illis non posse a Deo dispensari respectu hominis liberè, & moraliter operan-

rantis . Porerit utique facere Deus , ut homo careat operatione morali , *impediendo* videlicet usum rationis , & sic fiat incapax obligationis cujuscumque legis . Si verò fit capax liberæ operationis , tunc debet esse obnoxius primis illis principiis legis naturalis : *bonum est faciendum , malum est fugiendum* . Ponamus autem dari dispensationem in his principiis pro casu aliquo : tunc dispensatio licitum redderet oppositum illi principio . Quare ratio judicabit licitum actum illum pro illo tempore . Habebit idcirco duo judicia , utraque a Deo , simul tempore contradictoria : actum illum esse *illicitum* ex lege naturali divina ; & actum illum esse *licitum* ex divina dispensatione : Quæ contradictoria in linea etiam morali repugnant , ut diximus .

Rursus quamvis Deus unus , idemque sit , nec distinctionem in se pati possit : adhuc juxta modum ratiocinandi nostrum distinguendæ sunt in Deo variæ rationes : Primò *Ratio supremi Legislatoris* . Ex qua ratione habet Deus , ut possit nova , & varia præcepta imponere . Secundò *Ratio supremi Domini* ; ex qua potest rerum dominia aliquibus concedere , aliquibus auferre ; & sic illa mutare . Tertiò *Ratio supremi Judicis* ; ex qua potest & pœnas , & præmia reddere , prout unicuique debetur .

Ut autem *dispensatio* legis a Deo fiat , necesse est fieri ab ipso sub ratione *supremi Legislatoris tantum* ; ut videlicet solâ utens *Jurisdictione , & Potestate , qua legem condidit* , legem ipsam mutet , vel abrogando illam , vel illam minuendo . Siquidem ejusdem est potestatis legem condere , & illam auferre . Si verò utatur Deus aliâ potestate nimirum *supremi Domini* , atque ita mutet dominium humanum ; vel alâ ratione *supremi Judicis* : tunc non erit dispensare , sed mutare materiam legis . Quibus positis , asserendum est tali pacto :

„ *Lex naturalis non potest neque tota , neque ex parte a Deo propriè abrogari , minui , dispensari* „ . Patet autem

autem hoc : Etenim dispensari legem naturalem five totam ; five ex parte , abrogari , minui ; est concedi alicui , ut aliquid agat , quod lege naturali prohibitum est , permanentibus illis circumstantiis , in quibus Lex naturalis illud prohibet . Lex autem naturalis prohibet id , quod essentialiter turpe est , & dissonum naturæ rationali , quâ tali . Si itaque Deus posset concedere homini , ut aliquid agat sub illis circumstantiis , in quibus est intrinsecè turpe : actio illa humana esset simul recta , & non recta secundum se totam , & ab eodem Deo Legislatore : recta quidem , quia ex divina dispensatione procederet : non recta , quia essentialiter turpis , & contra naturæ rationalis lumen . Quæ sanè utpote contradictoria , cum nihil sint , fieri per Deum minime possunt : ut toties diximus .

Omnia clara , atque adeo evidentia sunt , si intimè inspiciantur . Quare nihil hic aliud factò opus est , ut , quod asseruimus , ab omnibus probetur , nisi ut explicentur nonnulla , quæ in sacris litteris referuntur , & speciem dispensationis exhibent .

Atque hic statim se offert præceptum datum Abrahamo de occidendo innocente Puero Isaacco ejus Filio : ubi videtur , Deus dispensasse in occisione innocentis , quæ est contra Jus naturæ . Explicatur hoc ab erudito viro Frassen ad probandam veram dispensationem tali pacto ; quòd Deus propriè dispensavit in præcepto J. N. de non occidendo Innocente : quia auctoritate suâ licitam fecit occisionem , quæ secus fuisset illicita . Verùm Auctor hic , qui sic objicit , non advertit ad vim veræ , & propriæ dispensationis , & ad multiplicem auctoritatem , qua pollet Deus , & quam potest exercere , ubi vult . Qui dispensat *verè* , non aliâ uti potest , ac debet auctoritate ; nisi illâ , qua legem condidit , videlicet *Legislativâ* . Deus verò , qui præter hanc auctoritatem , illam habet etiam *supremi dominii* in vitam , & necem hominum , in prædicto casu non potestate usus est legis-



gislativa, sed supremi dominii auctoritate, quâ uti potest ubicunque, & quotiescumque sibi libuerit. Utens itaque Deus hoc supremo dominio, quemadmodum pro libito potuisset ab Isaaco vitam auferre, quin hic queri posset de injuria: pari ratione potuit committere Abrahæ, ut opus illud exqueretur.

Sed instat rursus prædictus Auctor. Ideo Princeps aliquis dicitur dispensare in lege a se lata: quia auctoritate suâ facit, ut actus aliquis sit licitus in illis circumstantiis, in quibus ceteroquin foret illicitus. Deus ergo, qui fecit, ut actio aliàs illicita fieret licita, dici debuit dispensasse. Atque hic rursus non bene expendit Auctor iste mutationem, quæ facta fuit in Isaaco ex usu supremi illius dominii a Deo facto. Siquidem Isaacus non amplius fuit objectum legis illius *de non occidendo Innocente*, quæ lex nullo pacto respicit Innocentem, cui ablatum sit a Deo ratione sui supremi dominii Jus in vitam. *Dispensatio vera* fieri debet in Persona adhuc obnoxia legi, quæ ex privilegio dispensationis ab obligatione eximatur. Si verò Persona in iis est circumstantiis, pro quibus Lex non fuit lata, tunc Persona non dicitur *a lege dispensata*: quia Lex illam pro illis circumstantiis nunquam respexit. Si itaque Princeps efficere possit, ut homo legi obnoxius mutet circumstantias, unde legi ulterius non subjiatur, non cum illo dispensat in lege, legis enim objectum non est homo ille. Sit exemplum. Si Princeps legem conderet respicientem, & obligantem tantum Ignobiles, non verò Nobiles, ut est recens Lex in Etruria de non *instituentis Fidecommissis* respectu Ignobilium. Possit idem Princeps cum aliquo Ignobili dupliciter se gerere: primò expressè eximendo illum a tali lege, relicto tamen ipso in gradu *ignobilitatis*: & secundò elevando illum ad gradum *nobilitatis*. Jam in primo casu esset vera dispensatio; non ita tamen in secundo casu, ubi eximitur objectum a lege: Lex enim nobiles non obligavit unquam.

Tom. I.

Y

Aliud

Aliud a sacris litteris desumptum facinus obijciunt ; ubi Deus præcepit Osee Prophetæ , sic : *Vade , sume tibi Uxorem fornicationum , & fac tibi Filios fornicationum* . Jamvero Fornicatio est Jure naturæ prohibita : nam est actus institutioni naturæ in propagatione humana contrarius ; proli nascituræ perniciosus ob infamiam Matris ; proli educandæ noxius , incerto Patre ; societati humanæ oppositus , neglectis matrimoniis cum debito , & legitimo contractu ; libidinibus vagis viam aperiens , & propter alia mala , quæ naturæ rationali quâ tali dissona sunt , & idcirco optimè damnata est ab Innoc. X. propositio , *Fornicationem non esse malam secundum se , sed solùm ut prohibitam* . Si ergo Deus illam Osee præcepit , vitius est dispensasse .

Non benè ex loco illo (1) colligitur , facultatem habuisse Oseam fornicandi ; sed tantùm ut sibi in uxorem acciperet Mulierem , quæ fornicaria fuerat . Sic expressè adnotavit S. Augustinus (2) : *Quid inimicam Fidei christiane , si Meretrix , relicta fornicatione , in castum conjugium commutetur ?* Et paulò post : *Cùm Meretricem Propheta fecit Uxorem , & ad vitam corrigendam mulieri consultum est , & figuræ Sacramentorum expressum* . Et S. Hieronymus locum illum explicans ait : *Quantò illa sordidior est , tantò Propheta patientior , qui talem duxit Uxorem* .

Neque aliquid obstat , quod eodem c. 1. dicat Deus : *& fac tibi Filios fornicationum* . Et c. 2. dicatur : *Filii fornicationum sunt , quia fornicata est Mater eorum , confusa est , quæ concepit eos* . Duplicem enim significationem habere possunt voces illæ *Filii fornicationum* : vel quia Deus præcepit Prophetæ , ut Filios ab illa genitos adoptaret . Huic interpretationi favent codices hebræi , græci , & multi latini (3) ubi non legitur , *Fac tibi* : sed simpliciter , *sume tibi*

(1) Osee c. 1.

(2) Lib. contra Secundianum c. 27.

(3) Calmet hic ; & Sylvius 1. 2. q. 100. ar. 8.

tibi Uxorem, & Filios fornicationum. Vel quia nati sunt ex Muliere prius fornicaria. Scriptura enim solet aliquando exprimere Personam ex aliquo adjuncto, quod prius habebat, licet deinde adjuncto eo careat. Sic legimus appellatum Simonem leprosum a lepra, quam antea passus fuerat (1).

Quemadmodum autem ex Apostolo: *Omnia contingebant illis in figuram*: etiam & hoc factum Prophetæ Osæ mysterium repræsentabat in novo testamento. Significabat enim Ecclesiam, olim gentilem & coinquinatam omni criminum genere; quæ post unionem cum Christo filios habuit in spiritu gratiæ ejus adoptatos, & novos spiritualiter genuit; & ipsa, quæ prius infamis erat ex Deorum cultu, & ceteris sceleribus, unita deinde Christo immaculata evasit, non habens maculam, neque rugam. Sicuti quæ fuerat fornicaria prius per suam cum Propheta unionem sanctificata est.

Illud etiam opponunt ex divino præcepto dato Israelitis, ut auferrent vasa aurea, & argentea ab Ægyptiis. (2) Ablatio autem rei alienæ invito Domino, quod furtum est, Jure naturæ prohibetur. Et in hoc etiam Israelitarum facto mutationem in materia legis advertimus, non dispensationem. Siquidem Deus ratione sui supremi domini utens, sicuti poterat de se bona Ægyptiorum tollere citrà eorum injuriã (jus enim quodcumque hominum a jure supremo divino pendet): ita potuit hoc agere per manus Israelitarum, atque istis tradere jus in vasa ablata ab Ægyptiis. Sic explicat S. Thomas, qui pariter advertit, in eo casu Deum usum fuisse *ratione supremi Judicis*, adjudicando Israelitis bona Ægyptiorum nimis sævientium in Populum hebræum, illosque privando bonis suis, & reddendo sic mercedem Israëlitarum laboribus: *Ideo*, (ait S. Thomas) *quando*

Y 2

do

(1) Matth. 26. Marci 14.

(2) Exod. 11.

do Filii Israel præcepto Dei tulerunt Ægyptiorum spolia; non fuit furtum, quia hoc eis debebatur ex sententia Dei. S. Augustinus pariter eodem modo interpretatur (1): Ægyptii erant sacrilegi, & iniqui; nam ex illo auro male utentes ad Creatoris injuriam suis Idolis serviebant; & homines peregrinos labore gratuito injustè, ac vehementer affligebant.

V. Majus negotium facessit permissio facta a Deo Patriarchis veteris Testamenti de Polygamia, ut scilicet plures ducerent Uxores. At verò *Polygamia*, seu *Polygynia* est jure naturæ prohibita: Siquidem est opposita paci familiarum, & bonæ liberorum educationi: Est rursus contra naturam Justitiæ commutativæ, quæ per se non patitur, ut jus in corpus uni jam traditum denuo tradatur alteri, & alteri; exemplo rei uni venditæ, ac traditæ. Accedit, quòd uxor jus in corpus tradere non possit alteri viro. Æqualitas ergo ex Justitia commutativa exigit idem in viro. Quidquid in oppositum dicat Henricus de Cocceii (2). Sanè si primam Matrimonii institutionem attendamus, Deus uni viro unam constituit uxorem, dixitque: *Erunt duo in carne una*. Primus autem, qui duas duxit Uxores, fuisse legitur Lamech (3) *qui accepit duas Uxores*. Lamechi exemplum Patres antediluviani non sunt sequuti: Sic Noë, tresque Filii ejus, orbi post diluvium restituendo, humanoque generi propagando destinati, & servati, singuli singulas habebant uxores, ut colligitur ex (4) sacris litteris.

Ex parte alia verò damnari nequit factum illud Patriarcharum: secus dici deberet, egregios illos viros, qui tanquam heroicæ virtutis, ac perfectionis exemplaria proponebantur a Prophetis, a Christo, ab Apostolis, vel igno-

(1) L. 22. contra Faustam.

(2) In Comment. ad l. 2. c. 5. §. 9. Hugonis Grotii.

(3) Gen. 4.

(4) C. 7. Gen. v. 7.

râsse, adulterium esse peccatum, vel toto vitæ tempore in tam nefario flagitio perseverâsse. Confirmat hoc etiam Lex in Deuteronomio pluribus in locis, ubi sermo est de Polygamia, tanquam de re licita (1). Nec ullibi legimus, a Deo reprehendi polygamiam sive in Abrahamo, qui Saram, Agar, & Ceturam; sive in Jacobo, qui Liam, Rachelem, Balam, & Zelpham; sive in Davide, qui duodeviginti uxores habuit: quinimo & de Davide (2) dicitur: *fecisse rectum in oculis Domini, & non declinâsse ab omnibus, quæ præceperat ei cunctis diebus vitæ suæ, excepto sermone Uria Hethæi.*

Verùm & in hoc juxta tradita a nobis principia respondendum est. Scio equidem Protestantium deliria hac de re, opinantium polygamiam, concubinatum, divortium, & alia hujusmodi, non esse vetita, nisi ad majorem legis perfectionem. Sic Grotius (3) *Concubinatum, Divortium, Matrimonium cum pluribus feminis: sunt quidem hæc ejusmodi, ut eis abstinere, honestius esse dicet ipsa ratio: at non talia, ut absque lege divina nefus in illis appareat.* Coccejus verò (4) ait, *Auctor (Grotius) ad hanc antiquam legem (divinam) refert concubinatus, divortia, polygamiam &c. Sed malè: nam concubinatus (perpetuus scilicet) polygamia plurium feminarum, & divortia ex justa causa nec lege Moysis, nec lege Evangelii prohibentur.* Nonnulli Auctores catholici opinantur, Polygamiam non opponi Juri naturali, sed Juri divino positivo. Jus hoc ab initio obligavit omnes; unde putant, Lamech peccâsse, ducendo duas uxores, contra hoc divinum mandatum. Dispensatum deinde a Deo cum Patriarchis, & Hebræis: imo & ex Augustino (5) dispen-

(1) Sic c. 17. & c. 21.

(2) L. 3. c. 15. Reg.

(3) L. 1. c. 2. de J. Belli & Pacis §. 6.

(4) In Proleg. ad Grot. §. 48.

(5) L. 16. de Civ. c. 38. & lib. 22. contra Faustum.

dispensatum etiam fuisse cum Ethnicis. A Christo Domino deinde sublatam expressè hujusmodi dispensationem, quamvis juxta Bellarminum (1) etiam ante Christi adventum, prædicta dispensatio cessaverit; atque ita matrimonium ad monogamiam fuerit redactum (2).

Scio, inquam, hæc omnia: sed rationes suprâ expositæ suadent, ad Jus naturale monogamiam spectare; nec proinde sine Dei oraculo viros illos antiquæ legis sanctissimos plures uxores duxisse: neque rursus *verâ Dei dispensatione* id fuisse præstitum. Dicendum itaque, Jus illud, quod uxor in corpus viri privativè habet, a supremo Jure divino in casibus illis fuisse ablatum; & in pluribus uxoribus dispertitum. Non erant itaque legi monogamiæ obnoxii ex hoc capite viri illi. Paci deinde familiarum, & bonæ prolis educationi potuit a Deo sic disponente modo aliquo provideri. Voluit autem Deus jure illo supremi dominii sui tunc temporis uti eo videlicet sine, ut genus humanum propagaretur, adnotante hoc Chrysofomo (3) ubi de Jacob, qui duas accepit uxores, ait: *Tunc enim, quia principia erant, permixtum fuit, cum duabus, vel tribus, vel pluribus misceri, ut humanum genus propagaretur* (4). Voluit etiam Fidelis Populi propagationi Deus favere magis, & sic cultus sui divini & religionis amplificationi; quæ omnia mysticè rem Christianam præsignabant, ut advertit Ambrosius: *Illæ, quæ gessit Abraham, ut de Ancilla susciperet sobolem, in figuram facta sunt, & secundum allegoriam dicta*. In novo autem testamento nihil hujusmodi jure factum est. Quare si qua a Canonistis referuntur exempla, in quibus Pontifices visi sunt dispensare, ut de Greg. III. & de Alex. III. legimus: in his sermo est de Matrimonio tantum ra-

(1) Lib. 1. de Matr. c. 4.

(2) Vid. SchWartz. in p. 2. Instit. tit. 1.

(3) Hom. 56. in Genes.

(4) Vid. S. Thomas ad 4. dist. 33. q. 1. art. 1.

to cum prima, & dissoluto isto ( modo a nobis suprâ exposito ) approbâsse secundum ; vel de Matrimonio inito cum impedimento dirimente . Lutherus verò , cum suis Ecclesiæ reformatæ ( ut dicunt ) aſſectis Melanchtone , Bucerò , aliisque dispensavit cum Philippo Assiæ Lantgravio an. 1539. ut , vivente prima legitima uxore , secundam , quam optabat , duceret ; dummodo nihil apud Populum , neque apud Cæsarem , & multo minus apud Catholicos ea de re innotesceret (1) . Male autem , & Pseudòs asserit Henricus de Cocceji , (2) *Papam obtulisse id beneficium* ( scilicet polygamix ) *Henrico VIII.* Cùm id nonnisi ab Hæretico Baufobre (3) fuerit confictum , contradicentibus illius temporis historicis , quos consulere licet .

Profectò non nisi supremo Dei dominio mutari potest Jus illud privativum , quod residet in altero conjugum respectu corporis alterius ; & in homine non est potestas , privandi alterum hoc dominio , etiam illo volente . Quare meritò damnata fuit propositio ab Innoc. XI. *Copula cum conjugata, consentiente marito, non est adulterium.* Hoc enim Jus omninò renuntiari nequit , quemadmodum sunt , quæ univèrsam Reipublicæ bonum respiciunt , quæ a particulari quocunque nequeunt abdicari . Polyviriam idcirco *absolutè* initam multo magis rectæ rationi dissonam esse , constat , neque unquam novimus permissam , nisi fortè apud Gentes , verbo tenus non barbaras , sed plura etiam permittentes contra Jus naturæ facinora , ut Idololatriam , Polytheismum , Fornicationem , Rapinas &c. Sed de Polyviria infra .

Ecquis autem post traditam explicationem , SS. Patrum auctoritate corroboratam , non mirabitur Buddei Lutherani vesanam interpretationem , ut *tolerantismo* , quem maximè optaret , fidem adstruat ? Is (4) exponit Patriarcha-

(1) Vid. Bossuetus in hist. Variat. Eccl. Protest. to. 1. l. 6.

(2) In Comment. ad l. 1. c. 5. §. 9. Grotii.

(3) In sua Biblioth. germ. to. 3.

(4) In Iustit. Theol. Mor. part. 2. c. 2. §. 14.

charum exempla, qui polygami fuerunt, nec tamen ob id reprehensi a Deo, aut reprobati, atque illico subdit: *Multa sanè Deus tolerat, quæ sunt contra leges naturæ, etiam absolutas, quæ tamen non probat. Tolerat ea in Piis etiam, & Sanctis; sed eâ demum conditione, si aut ignorantia, aut imbecillitate aliquid agant, quod contra legem sit, ut tamen nulla proeresis in illis sit legem violandi, sanctum contra, & sincerum studium eam servandi pro viribus. Hinc & Polygamiam in viris Sanctis veteris Testamenti toleravit Deus, quod uti neutiquam ex libidine, aut pravo animi affectu, sed desiderio consequendi de Messia promissionem ex illorum semine nascituro, sobolis multiplicationem optarent, & hanc in partem singularis benedictionis divinæ ponerent; & præterea ob receptam tum temporis ubique, saltem in Oriente, polygamiam, eam prohibitam esse, ignorarent.* Sed, ut dicebam, Buddei interpretatio quacunque ex parte labat, & fundamento carens ruit. Pro quo satis sit advertere, Viros illos ceteroqui polygamos in Scripturis commendari, quod sanè non fieret in sententia Buddei; & quod caput est, pluralitatem uxorum inter Dei beneficia accenseri. Sic Davidi peccanti contra Uriam partes Dei accipiens Nathan exprobravit (1): *Dedi tibi domum Domini tui, & uxores Domini tui in sinu tuo . . . . Et si parva sunt ista, adjiciam tibi multo majora.* Advertit hoc Thomasius (2): *quis putet inter beneficia referre, quod essentiam hominis turbat, ac jure naturali prohibitum est?* Advertit, inquam, adscribi a Deo inter beneficia pluralitatem uxorum, quod dici non potuisset, si malum adhuc fuisset sive toleratum, sive ignoratum. Sed Thomasius advertere pariter debuisset, Deum, qui pluralitatem uxorum illis largiebatur, ea pariter contulisse, quæ ad pacem confirmandam facerent, & nihil contra Jus naturale permisisse.

Quis

(1) Lib. 1. Reg. c. 11.

(2) Lib. 3. de Jurisprud. div. c. 1. n. 205.



Quis unquam audeat, sanctos illos Patriarchas hac in re comparare cum pervicaci Populo hebræorum, quem redarguebat gravibus verbis Christus Dominus de *libello repudii*, per quem scilicet dimittebatur uxor ita, ut soluto Matrimonio, ipsa posset alteri nubere? De eo agebat Christus: quòd *Moyfes permiserit hebræis dimittere uxores propter duritiam cordis eorum*. Et in eo faciendo non rem licitam patrabant, sed illicitam, & solummodo permissam, quemadmodum & multa etiam mala permittuntur in Republica ad majora mala vitanda. Fortasse inter hebræorum gentem temporis decursu potuit ex ignorantia licitus putari hujusmodi libellus, quemadmodum ex ignorantia etiam putârunt licere ipsis, usuras accipere ab extraneis, non verò ab ipsismet hebræis, ut explicat S. Thomas (1). Ab illis autem sapientissimis Viris, & in lege Domini versatissimis abesse ignorantiam hac in re, omnis humana ratio suadet: cùm agatur de Jure naturæ, & de re maximi momenti, spectante videlicet ad humanam generationem.

Neque obstat, quòd nullibi de hoc divino consilio, quòd Polygamiam respicit, constet: Siquidem sine eo, per aliquod saltem signum hominibus expresso, vel Noacho, vel Abrahamo, homines probi in eum morem non ivissent: quemadmodum Lamechi exemplum, quod communiter a Patribus damnatur, Tertulliano præsertim, & Hieronymo pluribus in locis, & (2) ubi ait: *primus Lamech maledictus, & sanguinarius, & de Cain stirpe descendens, unam costam divisit in duas, & plantarium digamiæ protinus diluvii pœna subvertit*: Hujus, inquam, exemplum alii antediluviani minimè secuti sunt. Traditione potuit deinde invalescere, & bonorum virorum consuetudine comprobari, quod primùm aut divino monitu, aut inspiratione potuit innotescere. Pari modo lex Matrimonii ante Moyfis ætatem

Tom. I.

Z

non

(1) 2. 2. q. 78. ar. 1. ad 2.

(2) Epist. 9. ad Salvinam.

charum exempla, qui polygami fuerunt, nec tamen ob id reprehensi a Deo, aut reprobati, atque illico subdit: *Multa sanè Deus tolerat, quæ sunt contra leges naturæ, etiam absolutas, quæ tamen non probat. Tolerat ea in Piis etiam, & Sanctis; sed eâ demum conditione, si aut ignorantia, aut imbecillitate aliquid agant, quod contra legem sit, ut tamen nulla proeresis in illis sit legem violandi, sanctum contra, & sincerum studium eam servandi pro viribus. Hinc & Polygamiam in viris Sanctis veteris Testamenti toleravit Deus, quòd uti neutiquam ex libidine, aut pravo animi affectu, sed desiderio consequendi de Messia promissionem ex illorum semine nascituro, sobolis multiplicationem optarent, & hanc in partem singularis benedictionis divinæ ponerent; & præterea ob receptam tum temporis ubique, saltem in Oriente, polygamiam, eam prohibitam esse, ignorarent.* Sed, ut dicebam, Buddei interpretatio quacunque ex parte labat, & fundamento carens ruit. Pro quo fati sit advertere, Viros illos ceteroqui polygamos in Scripturis commendari, quod sanè non fieret in sententia Buddei; & quod caput est, pluralitatem uxorum inter Dei beneficia accenseri. Sic Davidi peccanti contra Uriam partes Dei accipiens Nathan exprobravit (1): *Dedi tibi domum Domini tui, & uxores Domini tui in sinu tuo. . . . Et si parva sunt ista, adjiciam tibi multo majora.* Advertit hoc Thomasius (2): *quis putet inter beneficia referre, quod essentiam hominis turbat, ac jure naturali prohibitum est?* Advertit, inquam, adscribi a Deo inter beneficia pluralitatem uxorum, quod dici non potuisset, si malum adhuc fuisset sive toleratum, sive ignoratum. Sed Thomasius advertere pariter debuisset, Deum, qui pluralitatem uxorum illis largiebatur, ea pariter contulisse, quæ ad pacem confirmandam facerent, & nihil contra Jus naturale permisisse.

Quis

(1) Lib. 1. Reg. c. 12.

(2) Lib. 3. de Jurisprud. div. c. 1. n. 205.

Quis unquam audeat, sanctos illos Patriarchas hac in re comparare cum pervicaci Populo hebræorum, quem redarguebat gravibus verbis Christus Dominus de *libello repudii*, per quem scilicet dimittebatur uxor ita, ut soluto Matrimonio, ipsa posset alteri nubere? De eo agebat Christus: quòd *Moyfes permiserit hebræis dimittere uxores propter duritiam cordis eorum*. Et in eo faciendo non rem licitam patrabant, sed illicitam, & solummodo permissam, quemadmodum & multa etiam mala permittuntur in Republica ad majora mala vitanda. Fortasse inter hebræorum gentem temporis decursu potuit ex ignorantia licitus putari hujusmodi libellus, quemadmodum ex ignorantia etiam putârunt licere ipsis, usuras accipere ab extraneis, non verò ab ipsismet hebræis, ut explicat S. Thomas (1). Ab illis autem sapientissimis Viris, & in lege Domini versatissimis abesse ignorantiam hac in re, omnis humana ratio suadet: cùm agatur de Jure naturæ, & de re maximi momenti, spectante videlicet ad humanam generationem.

Neque obstat, quòd nullibi de hoc divino consilio, quòd Polygamiam respicit, constet: Siquidem sine eo, per aliquod saltem signum hominibus expresso, vel Noacho, vel Abrahamo, homines probi in eum morem non ivissent: quemadmodum Lamechi exemplum, quod communiter a Patribus damnatur, Tertulliano præsertim, & Hieronymo pluribus in locis, & (2) ubi ait: *primus Lamech maledictus, & sanguinarius, & de Cain stirpe descendens, unum costam divisit in duas, & plantarium digamiæ protinus diluvii pœna subvertit*: Hujus, inquam, exemplum alii antediluviani minimè secuti sunt. Traditione potuit deinde invalescere, & bonorum virorum consuetudine comprobari, quod primùm aut divino monitu, aut inspiratione potuit innotescere. Pari modo lex Matrimonii ante Moyfis ætatem

Tom. I.

Z

non

(1) 2. 2. q. 78. ar. 1. ad 2.

(2) Epist. 9. ad Salvinam.

non fuit litteris ullis consignata , sed animis hominum dumtaxat a Deo impressa.

De *Polyandria*, seu polyviria nunc aliquid. Hanc *absolutè* contractam esse jure naturæ prohibitam, constat apud omnes. Repugnat enim fini primario Matrimonii; siquidem *incerta* redditur proles, adeoque *educationis* cura restringitur ex parte Patris. Videatur huic sententiæ subscribens etiam Heinnecius (1); & Henricus de Cocceii (2) idem omnino sentit, ducitque repugnantiam ex Jure naturæ propter *incertitudinem prolis, confusionem seminis, officiorum, ac successioneis*. Ex hoc itaque capite, quòd Polyviria juri naturali, & substantiæ matrimonii adversetur, inferunt plures, Deum nunquam dispensasse in polyviria. Non desunt tamen, qui putent, posse etiam in Polyviria, aliquo modo *conditionato* initâ, Deum dispensare ( prout explicuimus in polygamia ): si nimirum uxor cum pluribus viris ita contrahat, ut unus hoc, alius altero, tertius vir tertio anno habeat Matrimonii usum, & cum ea cohabitet. Absolutè enim loquendo, plurium virorum uxor prolem gignere posset, & multò faciliùs sub data temporum distributione; educationi etiam prolis consuleretur, cum hæc incerti Patris non esset. Unde utrumque impedimentum cessaret, cessarent etiam alia, quæ a Coccejo proferuntur; & in eo casu, ( si Deus jure sui supremi Domini uteretur modo supra tradito ): conjuges illi legi ordinariæ non essent amplius obnoxii. Secluso autem casu dictæ dispensationis divinæ, polyviria est certò de J. N. prohibita. Christianus Thomasius in definienda hac re parùm sibi constat. Ait enim (3) *Polyviriam infimum gradum licentiæ obtinere, & prohibitioni propiorem esse, quàm præcepto*. Et (4) alibi Polyviriam reje-

(1) Elem. Jur. nat. & G. l. 2. c. 2. §. 36.

(2) In Comment. ad l. 2. c. 5. §. 9. Grotii.

(3) In sua Jurispr. div. l. 3. c. 2. n. 211.

(4) In Fundam. J. N. l. 3. c. 2. n. 36.

rejecit tanquam oppositam regulis *decori*, & *honesti*. Re tamen ipsâ reputari debet dissona naturæ rationali, adeoque in nullo casu humanitus licita; etiamû consideretur casus Uxor<sup>is</sup> junctæ Marito sterili, immo casus unius Uxor<sup>is</sup> in mundo tantum superstitis Viro sterili sociatæ: Nam *Jus naturale* intendit bonum universale; & ea attendit, quæ ordinariò fiunt: particulares autem casus, & quæ contingunt per accidens, non probant Jus naturæ (1). Sanè in dictis casibus esset præsumendus Mundi interitus, cum dispensari omnino non possit; ut habet S. Thomas apud Sanchez. (2).

Quare, ubi aliquando legimus, Deum dispensasse in aliquo ex præceptis J. N. accipiendum est, si rectè velimus intelligere, de dispensatione impropria, hoc est de mutatione objecti, & materiæ Juris naturæ, & dici potest dispensatio quædam ordinarii cursus, & providentiæ, quæ a divina voluntate pendet. Atque ita intelligi debet, quod legimus apud D. Bernardum (3) ubi triplex distinguit præcepti necessarii genus, videlicet *stabile, inviolabile, & incommutabile*. Deinde c. 3. hæc habet: *Necessarium, quod inviolabile nominavi, illud intelligo, quod non ab homine traditum, sed divinitus promulgatum, nisi a Deo, qui tradidit, mutari omnino non patitur: ut v. g. non occides, non mæchaberis, non furtum facies, & reliqua illius Tabulæ legis scita, quæ etsi nullam prorsus humanam dispensationem admittunt, Dominus tamen horum, quod voluit, quando voluit, solvit: sive cum Hebræis Ægyptios spoliari, sive quando Prophetam cum muliere fornicaria misceri præcepit: quorum utique alterum quid nisi grave furti facinus: alterum quid nisi flagitii turpitudine reputaretur, si non excusasset utrumque factum auctoritas Imperantis?* Hæc sanè verba sancti Bernardi optimè intelliguntur modo a nobis indi-

Z. 2

cato,

(1) Ex l. ea quæ verò ff. de reg. Jur.

(2) L. 7. disp. 50. n. 15.

(3) Lib. de Præcept. &amp; dispens. c. 2. n. 4.

cato, scilicet, quòd in dictis illis præceptis mutata fuerit ex supremo Dei dominio præceptorum materia, quæ sanè mutabilis erat, & non ab alio quocunque nisi a Deo id mutationis fieri poterat. *Dispensatio* autem appellatur non propriè quidem præcepti naturalis, sed legis ordinariæ Providentiæ.

Hujusmodi explicatio confirmatur ulteriùs ex iis, quæ idem sanctus Abas subdit (1): *Jamverò necessarium incommutabile quid accipi velim? Equidem nihil congruentius, quàm quòd divinà ita constat & aternà ratione firmatum, ut nulla ex casu possit vel ab ipso Deo aliquatenus immutari. Sub illo genere est . . . quidquid de dilectione, humilitate, mansuetudine, ceterisque virtutibus, tam in novo, quàm in veteri testamento spiritualiter observandum traditur. Siquidem discrimen hoc, quod inter necessarium inviolabile statuit Bernardus, & incommutabile, nimirum quod prius mutari a Deo possit, non verò posterius; innuit genus præceptorum, quod materiam habeat omnino immutabilem etiam a Deo. Sic puta *Odium Dei* nullo pacto per quamlibet mutationem circumstantiarum excogitabilem potest ita variari, ut aliquo modo honestari possit: Sic *adoratio Idoli*, sic *Perjurium*: quia ab his actionibus inseparabilis omnino est deformitas, si liberè fiant. Hoc utique non observatur in materia Præceptorum *secundæ Tabulæ*, ut ajunt, saltem quoad aliqua, quæ pati possunt in materia mutationem.*

Idcirco illud sumi potest, ac pro certo definiri: quoties Præceptum aliquod Juris naturæ pro casu aliquo videtur rectæ rationi non obligare: dicendum est, mutatam ex circumstantiis materiam, ac proinde non esse ampliùs legis naturalis objectum. Sic lex naturalis de *reddendo deposito* non respicit redditionem depositi pro aliquo tempore, aut

loco

(1) L. c. n. 7.

loco nocituri; quod advertit etiam Seneca (1): *Depositum reddere, per se res expetenda est: non tamen semper reddam, nec quolibet loco, nec quolibet tempore. Intuebor utilitatem ejus, cui redditurus sum, & nociturum illi depositum negabo.* Et idcirco lex naturalis, ut supra etiam dictum est, licet universalibus formulis exprimatur, indiget quadam expositione, indicante modum obligationis in materia variabili. Ut alibi diximus de lege vetante *occisionem hominis*, & paulò ante de *reddendo cuique quod suum est*. Non enim debet extendi ad casus illos, ubi auctoritas legitima in bonum publicum tradit carnifici reum; vel justitia, aut caritas prohibet redditionem depositi.

Expositio autem hæc, quam admittere in lege naturali oportet, differt maximè juxta aliquos ab illa legis interpretatione, quæ dicitur *ἐπιείκεια*, quæ non est revera simplex legis explicatio, sed est quædam legis ipsius veluti correctio, fundata in Legislatoris intentione. Est enim *ἐπιείκεια* apud Isocratem, & Demostenem *Juris moderatio* (2). Cum enim Lex universaliter lata non possit justè, ac rationabiliter in quibusdam casibus, quos tamen rigorosè accepta comprehendere videtur, servari: siquidem actus illi, licet sub verbis legis in sua proprietate spectatis præcipiantur, sunt nihilominus aliunde ex se revera prohibiti: tunc tota interpretatio, & conjectura fit circa intentionem Legislatoris, ut scilicet non fuerit mens ejus, actum illum comprehendere pro tali opportunitate. Hæc in rigore est *ἐπιείκεια*, quæ dicitur *emendatio legis* utique secundum verborum intelligentiam, dirigendo verba ad rectam normam juxta præsumptam Legislatoris æquam intentionem.

Hæc autem *ἐπιείκεια* locum in lege naturali non habet: quia non fundatur in sola voluntate Legislatoris, sed præsupponit necessariam honestatem, vel inhonestatem in acti-

(1) L. 4. de Benef. c. 10.

(2) Ap. Scap.

actibus a lege vel præceptis , vel vetitis . Quare vel actus sub lege comprehenduntur : & necessariò erunt legi obnoxii ; quin legislatoris intentio pati possit aliquam interpretationem , neque lex aliquam correctionem : Si verò ex mutatione materiæ actus non sunt amplius legis objectum , & nihil a lege ipsis confertur : tunc legislatoris intentio non debet ullo modo in lege sua vel dirigi , vel corrigi ; ut patet .

Non est autem pari modo ratiocinandum in *legibus humanis* , quæ actus respiciunt de se non habentes intrinsecam honestatem , vel turpitudinem . Legislator enim non potest casus omnes præcognoscere , in quibus sua ipsius lex universaliter prolata , inutilis , aut noxia sit . Unde , qui in aliquo casu legem servare nec possunt , nec debent ; contra legislatoris mentem non agunt , videantur licèt contra legis verba agere : & in tali rerum statu lex moderationem , vel correctionem patitur ex præsumpta legislatoris mente . Sic demus exemplum aliquod : lex *de monialium clausura strictè servanda* corrigenda est , & moderanda in circumstantia incendii , aut hostis ingruentis : in lege *de non ferendis armis nocturno tempore* moderatio tribuenda est ex evidenti necessitate , & ita urgenti , ut superior adiri nequeat : adeoque justè interpretamur , legislatoris intentionem pro ea circumstantia nolle , legem obligare . Conferantur modò hæ leges humanæ vetantes cum lege naturali etiam vetante , puta *mendacium* , statim patebit dispar ratio : pro nulla enim circumstantia , nullâve extrinsecâ necessitate , aut sine contingere potest , ut mendacium licitum sit (1) .

DIS-

(1) Vid. August. in lib. de mendacio , & in epist. 8. ad Hieron. Vid. etiam S. Thomas 2. 2. q. 110. ar. 3.



## DISSERTATIO VII.

*Principium cognoscendi Jus naturale ; ejusque Proprietates .  
 Quid de hoc Principio Grotius , & Puffendorfius ; eorumque affectus ? Impugnatur Principium Socialitatis ab hisce AA. explicatum . Quid revera sit Principium J. N. a nobis statutum ? Ubi de vera Felicitate agitur . Quid ceteri AA. sive ante , sive post Grotium , sive Grotio aequales ?*

I. **P** *Principium cognoscendi Jus naturale*, quod dici etiam solet *Principium cognoscitivum Juris naturalis*, summi potest pro universali quadam propositione, *ex qua omnia Juris naturalis præcepta deducantur*. Et rursus intelligi potest pro eo principio, *ad quod reduci possint omnia Juris naturalis præcepta*, tanquam *ad Finem*. Non verò accipitur pro *Juris naturalis principio efficiente*, de quo sanè non controvertitur, esse Deum.

Quare ubi inquiritur de hoc Principio cognoscitivo ; de eo quæritur, quod sit juxta Heinneccium (1) veluti *Cynosura, lapis lydius, statera actionum moralium*: de propositione quadam, *sub qua, & ex qua* reliqua præcepta comprehendantur, & inferantur ; quemadmodum notat Thomatius (2), & Ludovici (3). Uno verbo : quænam sit universalis illa propositio, ex qua benè intellecta deveniri possit in *notitiam obligationis naturalis*.

Sunt, qui negant dari posse hujusmodi Principium generale, sub quo, & ex quo comprehendantur, & inferantur omnia naturalia officia. Siquidem, ajunt, excogitari nequit propositio, quæ genuini principii locum teneat ; neque

(1) In Prælect. ad L. Puffend. de Off. hom. & Civ.

(2) In Instit. Jur. div. l. 1. c. 4.

(3) Dub. circa Jus naturale.

que tot diversa objecta uni principio inniti possunt; diversus enim status diversas regulas postulat; nec ulla est disciplina, quæ unâ solâ propositione absolvatur. In singulis proinde Juris partibus particularia, genuina, evidentia, domestica, & adæquata principia minimè deficiunt. Ita plures etiam e Protestantibus ratiocinantur, teste Samuele Coccejo (1). Sunt etiam, qui putant, nullius esse operæ pretii vel sub unico principio, vel sub pluribus omnia Juris naturæ officia concludere, aut ab uno omnia deducere. Et in hac sententia est Burlamaquius (2), quem sequitur De Felice (3).

Equidem non miror, ita ab aliquibus de re hac existimari, cum videant, teste Schwartzio, (ubi de hoc Principio) *quot Auctores, tot esse diversas sententias; ex quibus (si verum fateri fas est) hætenus nulla satisfecit ex toto*. Ceterum negari minimè potest, utilissimum fore principium aliquod, ex quo possint derivari ea, quæ ad Jus naturale spectant; & maximi deinde emolumenti fore principium, ad quod possint, ac debeant omnia J. N. officia tanquam ad finem dirigi. Idcirco quid alii de Principio hujusmodi fuerint opinati, quid nos definiemus; modò est inquirendum.

Principii hujus plura sunt attributa, & verè esse debent. Primò ut sit reipsa *Primum*, videlicet ex quo omnium J. N. officiorum reddi possit ratio.

II. Ut sit *Verum*: Etenim ex uno falso plura itidem falsa promanant.

III. Ut sit in eo ordine *Evidens*: inde enim debent omnes, qui terminos intelligunt, deducere, quid Juris naturalis sit. Dico, *omnes, qui terminos intelligunt*: qui enim eorum vim non tenent; nil mirum, quòd principii evidentiam

(1) Dissert. XI. c. 4. §. 26.

(2) De Princ. J. N. part. 2. c. 4. §. 4.

(3) In lect. Jur. nat. & G. lect. 8.

tiam non agnoscant. Quid evidentius *Principio contradictionis*? Nihilo tamen minus oportet illud probè intelligere, ut evidentia detegatur.

IV. Ut sit *adequatum*: ita nimirum, ut ex illo omnia ad Jus naturale spectantia deducantur.

Addunt nonnulli bina alia attributa, scilicet ut *sit nature intrinsicum*, seu in ipsa natura fundatum; secus non dici posset radix immediata, & propria, ex qua Juris naturalis objecta eruantur. Rursus ut sit *proprium*, videlicet uni Juri naturali dignoscendo accommodatum; neque ad alia, quæ ad prædictum Jus non spectant, sed aut ad Jus divinum, aut ad humanum positivum pertinent, extendantur.

His prænotatis, ab illis Auctoribus exordiamur, qui se primos hac in re magistros jactant, ac pari titulo ab aliis cohonestantur. Sunt enimvero Grotius, & Puffendorfius, qui primi hac in re Duces celeberrimi extitere.

II. Grotius hoc exhibet Juris naturæ Principium cognoscitivum: *Appetitum societatis pacatæ, & tranquillæ* (1). Cohærenter videlicet ad Juris naturalis constitutionem ab ipso firmatam *in quadam convenientia, aut disconvenientia cum natura rationali, & sociabili* (2). Jam in supradicto (3) loco ait: *Hanc societatis custodiam humanæ menti conformem esse fontem Juris propriè dicti*. Confirmat autem hoc auctoritate Senecæ (4), quem locum refert Barbeyracius in notis ad caput hoc Grotii. Hujusmodi verò Principium, quoniam in nobis non ab alio, quàm a Deo auctore existit; idcirco Deo tribuendum esse, pronuntiat, quemadmodum & *Jus ipsum meritò Deo adscribi potest*. Sic Grotius ib. §. 3.

Tom. I.

A a

Puf-

- (1) De J. B. & P. in disc. Prælim. in Prolegom. a §. 8.
- (2) L. I. c. 1. §. 12. n. 1.
- (3) Disc. Prælim. §. 8.
- (4) De Benef. l. 4. c. 18.

Puffendorfius longè ampliùs expolivit Grotianum hoc Principium, atque adeo, ut Principium hoc ipsum Puffendorfius tanquam auctori tribuatur communiffimè. Sic autem hic afferit (1): *Fundamentalis Lex naturæ isthæc erit: cuilibet homini, quantum in se, colendam, & conservandam esse pacificam adversus alios socialitatem, indoli, & scopo generis humani in universum congruentem.* Et multo clariùs alibi (2): *Cuilibet homini, quantum in se est, colenda, & servanda societas: Omnia, quæ ad istam societatem necessariò, & universim faciunt, jure naturali præcepta; quæ eandem turbant, aut abrumpunt, vetita intelliguntur.* Ex quibus verbis duo deduci necesse est, quæ Principium cognoscitivum Juris naturalis penes Puffendorfius sunt. Primò: Quidquid socialitatem inter homines conservat necessariò, eique consentaneum est, id *Jure naturæ præcipitur.* Secundò: Quidquid eandem destruit, aut ei adversatur, id *contra Jus naturæ est*, adeoque Jure naturæ prohibetur.

Ne autem in verbo *socialitatis* sit æquivocatio, explicat ulteriùs mentem suam Puffendorfius ibid. *Per socialitatem innuimus ejusmodi dispositionem hominis erga quemvis hominem, per quam ipsi benevolentiam, pacem, & caritatem, mutuâque adeo obligatione conjunctus intelligitur. Ut adeo falsissimum sit, eam, quam nos insinuamus socialitatem, indifferenter se ad bonam, & malam societatem habere.* Ubi videtur gravissimam occupare voluisse contra suum principium objectionem; & paucis verbis, se ab implicatissimis difficultatibus extricare, ut moris sui est, qui, advertente Leibnitzio, ubi aliqua statuit principia, ad *pravas consequentias* non advertit; & ubi primùm advertit, inchoarentia loquitur confidentissimè: ut videbimus etiam in hoc Socialitatis principio.

Profectò in dictum Socialitatis principium devenere ex  
Pro-

(1) Lib. de J. N. & C. l. 2. c. 2. §. 15.

(2) De Off. hom. & Civ. l. 2. c. 3. n. 9.

Protestantibus plurimi, Boëclerus, Hertius, Ryffelius: quibus accesserunt Weberus, Geilfusius, Vitriarius, Bohemmerus, Ludovici, Henningius, & alii. Christianus Thomafius (1) Socialitatis sententiam strenuè tuetur; licèt, ut narrat Fleischerus (2), *eam postea reliquit, nempe postquam satis perspexit, multis ipsam difficultatibus esse expositam.*

Non defuere tamen ex ipsis Heterodoxis, qui principium hoc rejecerint, quos inter Leibnitzius, Kemmerichius, Heineccius, Mævius, Coccejus, Kestnerus, Groningius, Huberus, & alii. Quid autem de hoc Principio nobis est definiendum?

Equidem sic reputo: „ *Principium hoc socialitatis attributis illis, quæ Principio Juris naturalis cognoscitivo communitè tribuuntur, omnino desituitur; adeoque nequit partes Principii hujuscemodi agere.* „

Expendamus hoc per partes: utar autem iisdem fermè argumentis, quibus Protestantes ipsi contra Puffendorfium uñ sunt, præsertim autem Lyncherus (3). Recolantur, quæ suprâ posuimus de proprietatibus Principii cognoscitivi. Tum sic:

Licèt constituta socialitas possit concipi antecedens ad aliqua Juris naturæ officia, nequit tamen dici prima respectu obligationum omnium naturalium. Siquidem consideremus Adamum, cui sua inerant Juris naturæ officia, certissimè officiorum illorum principium non fuit socialitas, dum solus vixit: & poterat diu solus vivere sine sociis, & officium socialitatis ignorare, quin cætera J. N. ignorasset officia, non enim ignorare potuit officia erga seipsum. Siquidem priora sunt officia erga se, quàm erga alios. Non potest itaque esse *primum* Principium in J. N.

Ex hac eadem ratione constat, deesse etiam Socialitati

A a 2

secun-

(1) In Instit. Jurispr. div. l. 1. c. 4.

(2) In Instit. J. N. & G. l. 1. c. 6. §. 28.

(3) In Commentar. ad Huberum l. 1. c. 2.

secundam proprietatem , nempè ut sit *verum principium* ; aptabile omnibus , quorum interest . Si enim , ut certissimum est , potuit Adam diutiùs sine socia vivere ; sequitur inde , socialitatem non esse proprietatem omnino necessariam omnibus Juri naturæ obnoxiiis hominibus seorsim sumptis : supponit enim necessariò existentiam plurium hominum , extra quam homo positus nihil ex illa socialitate posset deducere ad reliqua J. N. officia . Non est ergo *verum* . Hoc rursus patet evidentissimè ex alio capite , scilicet ex eo , quòd Socialitas non aliam parere potest felicitatem , nisi *meram externam* , & *solis vitæ hujus limitibus conclusam* . Quod sanè Puffendorsius in hoc sibi constans asseruit (1) : *Finem scientiæ Juris naturæ tantùm ambitu hujus vitæ includi , adeoque ea hominem formet , prout hanc vitam cum aliis socialibilem exigere debeat* . Deinde concludit : *Inde J. N. scita ad forum dumtaxat humanum adaptantur , quòd ultra hanc vitam sese non extendit* . Verùm hoc est apertissimè *fulsum* , ut suprà observatum est : Finis enim , quem ex lege naturali intendit homo , est adæquata felicitas cum hujus , tum potissimùm alterius vitæ ; secus , ut probè advertit Leibnitzius (2) , Juris naturæ officia nullam haberent vim in hominum cordibus . Debet ergo Lex naturalis , e jusque principium cognoscitivum esse hujusmodi , ut hominum animos ad solidam felicitatem dirigat . Principium itaque Socialitatis puffendorsonianum *fulsum* est .

Neque deinde *evidens* est penetranti terminos . Siquidem de se vocabulum *socialitatis* non exhibet determinatam societatis speciem : quare latrones dici etiam possunt vivere *socialiter* ; quod sanè cum puffendorsonianis principiis nequit congruere . Quamvis autem Puffendorsius , quid nomine socialitatis ipse intelligat , explicet : tamen hoc idem probat , nominis significationem æquivocam esse , adeoque Socialitatis

(1) In Præfat. ad lib. de off. hom. & Civ. §. 6. vel 8. .

(2) In epist. cit. ad Molanum ,

tis principium non esse *evidens*. Plures deinde cùm possint coalescere societates; neque *evidens* erit principium Socialitatis pro dirigendis, moderandisque diversæ societatis officiis.

Tandem nec est *adequatum*. Exinde enim inferri nequeunt officia erga *seipsum*; quorum aliqua saltem nullam habent ad alios rationem. Rursus officia erga *Deum*, qui propter socialitatem coli non debet unicè, ex socialitate non pendent. Ac denique *actibus internis*, quos esse Juris naturæ objectum suprâ ostendimus, principium Socialitatis nequit aptari. Non est itaque *adequatum* Principium.

Propter hunc etiam principii hujus defectum Kemmerichius, Puffendorffii ceteroquin studiosissimus enucleator, ab eo sustinendo recessit: *Ex eo principio*, ait (1) *dumtaxat officia erga alios, non verò erga Deum, & seipsum commodè deduci queunt*. Tum subdit: *Ansam Auctori præbuit Grotius, qui cùm Jus belli, & pacis scribere vellet, ex quo controversiæ Principum decidi possent: officia erga alios tantum respiciebat, quæ ex socialitate utique deduci poterant, atque adeo socialitas instituto ejus sufficiebat: sed non pro disciplina Juris naturæ adequata, quam venditabat, atque profitebatur*. In eadem est sententiâ Samuel de Cocceji (2).

Conatur enimvero Puffendorffius, & Grotius principium illud rationibus consolidare, sed parùm re ipsa conficiunt. A consideratione statûs naturalis hominis exordiuntur: inde clarè dignoscitur amor sui ipsius; ex quo amore illud consequitur, ut media ad sui conservationem inquirat: errare noscitur aliquando in mediis eligendis, nunquam tamen in fine suæ conservationis. Ex hoc ad vitam socialiter ducendam descendunt: non enim conservare se posset homo, si extra societatem viveret. Rem totam confirmat Sen-

(1) In Puffend. enucl. c. 3. n. 25.

(2) In dissert. proem. 1. c. 2. Sect. 4. §. 72.

Senecæ testimonium (1) ubi sic: *Quo alio tuti sumus, quàm quòd mutuis juvamus officiis? Hoc uno instructior vita, contraque incursiones subitas munitior est beneficiorum commercio. Fac nos singulos: quid sumus? Præda animalium, & victima, ac vilissimus, ac facillimus sanguis. . . . Hominem imbecillitas cingit. . . . Nudum & infirmum societas munit. Duas res dedit, quæ illum obnoxium ceteris, validissimum facerent, rationem, & societatem. . . . Hanc tolle: & unitatem generis humani, qua vita sustinetur, scindes.*

Aliud quoque adduci in rem ipsam posset testimonium Tullii nimirum, ubi asserit (2): *Si quid tale posset contingere, ut aliquis nos Deus ex hac hominum frequentia tolleret, & in solitudine uspiam collocaret, atque ibi suppeditans omnium rerum, quas natura desiderat, abundantiam, & copiam, hominis omnino adspiciendi potestatem eriperet. Quis tam esset ferreus, qui eam vitam ferre posset, cuique non auferret fructum voluptatum omnium solitudo? Et infra: Verum ergo illud est, quod a Tarentino Archita, ut opinor, dici solitum, nostros senes commemorare audivi, ab aliis senibus auditum: „ Siquis in Cœlum ascendisset, naturamque „ mundi, & pulchritudinem siderum perspexisset, in sua- „ vem illam admirationem ei fore: quæ jucundissima fuisset, „ si aliquem, cui narraret, habuisset „.*

Quod modò proposui, est primum Puffendorffii argumentum, sed, quod intendit, non evincit. Etenim nemo it inficias, hominis proprium esse, socialiter vivere: ipsique jucundissimum esse pariter aliquorum consortium, ac societatem: rursus homini prodesse plurimum societatem ad sui conservationem; quod est totum Puffendorffii argumentum. Non est autem id, quod quærimus: videlicet „ an „ ex hac socialitate inferri omnia possint Juris naturæ of- „ ficia „, ? Ad hoc ex tota illa puffendorffiana ratiocinatione,

(1) L. 4. de Benef. c. 18.

(2) De amicis. c. 23.



ne, & ex allatis testimoniis non descenditur sanè, sed præcipitatur. Urgent contra statutum principium officia hominis erga seipsum, urgent actus interni, urgent etiam officia erga Deum, ex illo principio non benè deducenda; & ea omnia, quæ ad vitam futuram spectant. Illud etiam adnotant aliqui, confundi scilicet a Puffendorffio societatem communem omnium hominum cum aliqua particulari societate, puta *Familia*. Principium suum societatem exigit omnium hominum, ut patet in materia totius Juris naturalis: argumenta autem ejus utilitatem societatis alicujus evincunt, quam etiam Tullii dicta mirificè confirmant.

Nec majore pollet vi alterum ad rem probandam Puffendorffii argumentum. Totus hîc est Puffendorffius in exaggeranda pro statu naturali hominis *miseria*: exorditur a natiuitate, „ homo, ait, prodit nudus in hoc mundi theatrum, rerum omnium indigus, sine rationis usu, nec „ edere, nec bibere, nec frigus, nec æstum repellere potest, quod pleraque bruta possunt „. Deinde pergit ad hominis educationem: „ Si deest hæc, ait, homo de „ generat in brutum exemplo barbararum gentium. Tandem in vitæ ipsius usu, quod nemo sibi uni sufficit: miseriam fore hominis in desertum degentis, aut in Insulam incultam projecti vitam „. Accedunt Juvenalis versus (1):

. . . . . *Mundi*

*Principio indulsit communis conditor illis*

*Tantum animas; nobis animum quoque, mutuus ut nos  
Adfectus petere auxilium, & præstare juberet.*

Verùm & ad respondendum huic puffendorffiano argumento nihil est, quod me moveat. Quod paulò superius proposui, facit pari jure & hîc etiam: sunt enim bona, quæ hîc congeruntur, plura, sed non ad rem. Revera multoties in legendo Puffendorffio Gundlingii assertioni sub-

(1) Ex Sat. 15.

subscribere sum coactus : *Proinde mihi Puffendorfi pertasum est , quoties ipsum explicavi* (1). Etenim in hoc argumento peccat Puffendorfius in fine , quem intendit : Ea siquidem omnia probant , socialitatem esse expetendam propter imbecillitatem , atque inopiam . Ergo non a naturæ ipsius intimo affectu . Cessante enim eâ imbecillitate , atque inopiâ , non esset socialitatis amor locus . Posset idcirco dici , naturam voluisse homines pro aliquo tempore , ac pro determinatis circumstantiis sociatos : quibus elapsis , nihil esset ultra decretum a natura pro re hac . Quemadmodum in brutis fieri conspiciamus , ut maxima sit in matre erga natos suos cura ad certum tempus , deinde nulla . Quàm vellem in Puffendorfi argumentis solidam dialecticæ rationis vim ! Volui idcirco aliquas hominis hujus proferre hinc ratiocinationes , ut ejus in ratiocinando levitas innotesceret . Persequar & reliqua in hanc rem ejus argumenta .

Sic ad tertium pergit argumentum ductum ex hominis in statu naturali nimia *pravitate* . „ Hac videlicet pravitate bruta omnia superat : plus habet malitiæ , quàm bestiarum : alios lædit ex mera voluptate , quod bestiarum non faciunt . Plures affectus pravorum in homine deprehendimus , quibus carent bestiarum , uti sunt *avaritia , dominandi libido &c.* Habet etiam homo plus potentiæ ad inferendum malum , videlicet ingenium promptum , arma nocentissimam , cum bruta naturalibus tantum utantur . Post hanc pravi animi humani descriptionem descendit ad media illum cohibendi . Sunt hæc *Premia , & Pœna* : „ quibus , ait , in statu naturali homines carent . Nam siquid ex divina Justitia vindicativa timoris homini pro statu naturali degen- ti obveniret , cum constet , Deum non illico in Reos animadvertere , nec illis determinata pœnarum genera intentare , & sæpè etiam pœnitentibus ignoscere : sequitur , parum ab hominibus curari , & quasi pro nihilo haberi ,

Sub-

(1). In disc. Præl.

Subdit tandem , quòd ,, si homines pro statu civili , ubi  
 ,, gravissima proponuntur supplicia , nihilotamen minus ab in-  
 ,, signi pravitate homines non arcentur : quid dicendum  
 ,, de hominibus pro statu naturali ? ,,

Atque hæc Puffendorffii verè pathetica humanæ pravi-  
 tatis enunciatio animum legentis movet , sed non principii  
 Juris naturalis cognoscitivi veritatem adhuc firmat , & mu-  
 nit . Ea omnia , quæ congerit Puffendorffius utilitatem bo-  
 næ societatis commendant ; exinde tamen Principium co-  
 gnoscendi Juris naturæ officia omnia , nullâ ratione descendit .

Quartò conatur id evincere ex insigni *varietate* inge-  
 niorum , qua pollent homines : unde diversimodè afficiuntur a  
 diverso respectu boni , & mali , diversitate temperamen-  
 torum , affectionum , consuetudinum ; ut dici solet : *Quot*  
*capita , tot sententiæ* . Inde infert , oriri necessariò debere  
 lites innumeras . Has lites autem exponit sic ,, : siquidem  
 ,, aut duo vel plures idem volunt , aut diversa ? Si idem ?  
 ,, litigabunt , quia omnes idem concupiscent . Si diversa ? li-  
 ,, tigabunt , quia nec in fine , nec in mediis convenient .  
 ,, Quare semper in statu naturali hominibus malè conve-  
 ,, niet ,, .

Sed hìc revera , quid valeat Puffendorffius , clarè dete-  
 gitur . Ex illo nimirum argumentò adeo non deducitur uti-  
 litas , & necessitas societatis , ut potiùs inde ad amorem  
 solitudinis quisque incitabitur , perspectis nimirum corruptæ  
 societatis detrimentis . Qua igitur vi , ac violentiâ ex ne-  
 cessitate litium cum socio sive ejusdem , sive diversæ opi-  
 nionis , trahere potest Puffendorffius alienæ societatis stu-  
 dium ? Et tamen in ejus dialectica optimè consequitur .

Argumentum maximi ponderis visum est Grotio , ad  
 probandam a Natura socialitatem , illud desumptum a ser-  
 mone , hominibus tantùm proprio . Sermo enim est pecu-  
 liare societatis instrumentum (1) .

Tom. I.

B b

Non

(1) Sic proleg. 7.

Non inficior, sermonem esse aliquod ad communicandas aliis animi nostri ideas medium, sed nego esse unicum. Signa æquè, ac verba sunt modi declarandi voluntatem: & novimus, primos Americæ advenas ex Europa non nisi signis vel datis, vel acceptis mutuò coaluisse. Sermo itaque necessarius ad societatem non est, etsi valdè utilis. Si verò homines solitariè degerent, & commercia non inirent, sermonis usus foret nullus; quemadmodum nullus est hodie cum tot nationibus, quarum sermonem non intelligimus, nec ullam cum illis societatem habemus. Esse itaque potest homo sine societate, & sermonis usu: & esse potest, saltem absolutè, in societate sine sermonis usu. Accedit, quòd natura indidit non hominibus modò, sed & brutis vim hanc manifestandi motus naturales per voces, sin minus per sermonem: & nemo dixit unquam, brutis inesse appetitum societatis. Præclare rem hanc prosequitur Lactantius (1) *Dignoscunt (Bruta) invicem se vocibus, & cum irascuntur, edunt sonum jurgio similem, & cum se intervallo vident, gratulandi officium voce declarant.* Et statim subdit: *Nobis quidem voces eorum videntur incognita, sicut illis fortasse nostræ; sed ipsis, quæ se intelligunt, verba sunt: denique in omni affectu certas vocis notas exprimunt, quibus habitum mentis ostendant.*

Sunt, qui Grotium de admissio Principio socialitatis excusant; propositum namque sibi fuerat de *Jure belli*, & *Pacis* scribere, de eo scilicet Jure, ex quo officia inter Populos liberos, eorumque supremos Duces proficiscuntur: quare non opus illi fuit, generale totius humanæ naturæ Juris principium statuere, unde videlicet omnia promanarent officia naturalia. Equidem Grotio ignoscendum aliquantò faciliùs puto, quàm Puffendorffio, qui de universo *Jure naturæ*, ac *Gentium* scripsit. Sed neque de integro Grotium absolvo: siquid em, captâ ex peculiari suo argumen-

to.

(1) De Ira c. 7.

10 occasione, ad statuendum generale Juris naturæ principium descendit. Sic (1) docet: *Naturâ nos, etiam si nullâ re indigeremus, ad societatem mutuam adpetendam ferri.* Rursus: *Inter ea, quæ homini sunt propria, est appetitus societatis, idest communitatis non qualiscunque, sed tranquilla; & prorsus intellectus modo ordinatæ cum his, qui sui sunt generis.* Deinde: *Hæc autem societatis custodia, humano Intellectui conveniens fons est ejus Juris, quod propriè tali nomine adpellatur.* Ac tandem: *quumque, ut talia principia in nobis existerent, Deus voluit, tale Jus merito Deo adscribi potest.*

Enimverò Boëclerus Grotium ita interpretatur, ejusque sententiam tueri studet: *Hanc societatis custodiam, seu appetitum societatis ordinatæ, instructæque naturalem rectè Grotius Juris naturalis originem, fontem, ac principium fecit, seu magis huic Juri fundamentum substravit.* Nam sicut ad talem societatem Deus homines condidit, natura instruxit, ratio deduxit, oratio copulavit: ita, si fingeretur status hominum extra societatem, ille non humanus esset, nec naturalis, & sic omnis coaguli, ut omnis juris expertus. Hujusmodi sanè Boëcleri ratio, ut Grotii mentem solidè explicet; tamen ad probandum, quod sumit, infirma est, & futile. Duo enim, quæ vel sumit, vel exponit, aut falsa sunt, aut ex arbitrio asserta. Etenim nullâ ratione probari potest, hominum statum extra societatem non esse *humanum, nec naturalem, nec juri naturali obnoxium.* Quî enim suadeat Boëclerus, hominem a Deo fuisse creatum tantùm ad societatem, & a natura instructum ad societatem tantùm? Hoc enim probare debuisset, ut illud inferret, hominum videlicet statum extra societatem *non esse humanum, nec naturalem.* Quod sanè gratuitò affirmat. Deinde falsum omnino est, hominem extra societatem constitutum esse *cujuscunque juris expertem.* Jus enim naturale in ipsa natura rationali & in lumine ipso rationis fundamentum habet;

(1) Ia Prelogomenis.

quo utique præditus est non magis homo in societate vivens, quàm extra societatem.

Concedimus ultro, ad societatem homines a Deo fuisse naturaliter propensos, & ratione ipsâ magis confirmatos: quod sanè nihil ad statuendum universale J. N. principium facit. Illud unicè affirmant Philosophorum ethnico- rum sapientiores sententiæ; ut illa Tullii (1), qui postquam hominem, ut animantium unum, & ut rationalem cum suis officiis consideravit, subdit: *Eademque natura vi rationis hominem conciliat homini, & ad orationis, & ad vitæ societatem: ingeneratque in primis præcipuum quemdam amorem in eos, qui procreati sunt; impellitque, ut hominum cætus, ac celebritates esse, & a se obiri velit; ob easque causas studeat parare ea, quæ suppetunt ad cultum, & ad victum: nec sibi soli, sed conjugii, liberis, ceterisque, quos caros habeat, tuerique debeat.* Aristotelis etiam sententia fuit, *hominem esse animal naturâ suâ civile, seu sociabile.* Senecæ pariter testimonium, ubi in egregia illa epist. 95. inter alias hanc versat quæstionem: *quomodo hominibus sit utendum?* Et, expositis nonnullis Juris naturæ officiis, videlicet, *ut nemini noceatur, ut homo homini mansuetus sit, ut naufrago manus porrigatur, erranti via monstretur, cum esuriente panis dividatur;* subdit, superfluum esse: *Omnia, quæ præstanda sunt, ac vitanda, dicere, cum possim breviter hanc formulam humani officii tradere. Omne hoc, quod vides, quo divina, atque humana conclusa sunt, unum est: membra sumus corporis magni. Natura nos cognatos edidit, cum ex iisdem, & in eadem gigneret. — Hæc nobis amorem indidit mutuam, & sociabiles fecit: illa æquum, justumque composuit: ex illius constitutione miserius est nocere, quàm lædi; & illius imperio paratæ sunt ad juvandum manus. Iste versus & in pectore, & in ore sit: Homo sum, humani nihil a me alienum puto. Habeamus in commune, quod nati*

(1) L. 1. de Offic. n. 11.

*nati sumus. Societas nostra lapidum fornicationi simillima est; quæ casura, nisi invicem obstarent, hoc ipso sustinetur.*

Sed aliqua nunc de Grotii, ac Puffendorffii Affeclis sunt persequenda.

Weberus cum utroque sentit quoad socialitatis principium. Ait proinde, principium hoc esse cuicumque homini *evidens*. Quod sic evincit. „ Principium hoc *in sensu in-*  
 „ *currit* : nihil ergo evidentius. Si enim quæstio sit de actio-  
 „ ne aliqua, an juri naturali conveniat, nec ne? non ma-  
 „ jori aliquâ evidentiâ id ostendi potest, quàm si exemplo  
 „ paucorum videas, an ad morem communem, & mu-  
 „ tuum, idest ad socialitatem conservandam ea sit idonea,  
 „ vel non? Unde de habitu ejus ad universam hominum  
 „ societatem facillè licet argumentari. „.

Thomasius pariter in eadem est opinione; & ratio-  
 nem profert (1) „ *Si Deus voluisset, hominem non ea fa-*  
 „ *cere, quæ cum socialitate ejus conveniant, non voluisset*  
 „ *rationalem: at homo irrationalis involvit contradictionem.*  
 „ Subdit etiam, principium hoc esse *evidens*: nam conne-  
 „ xio conclusionum est *evidens* cum primo isto principio  
 „ socialitatis. Etenim quærenti, quomodo *homicidia, fur-*  
 „ *ta &c.* repugnent *socialitati*? Respondeo, *evidenter*: quia  
 „ ea turbant tranquillitatem communem totius generis hu-  
 „ mani. Similiter quærenti, quomodo *pactorum observa-*  
 „ *tio* necessariò conveniat cum *socialitate*? *Evidens* est respon-  
 „ sio: quia, si ea non servarentur, turbaretur eadem tran-  
 „ quillitas „.

Ludovicus Ludovici (2) consideratis diligenter his om-  
 nibus principii socialitatis prærogativis, subdit veluti conclu-  
 dens „ *Hoc principium est ad captum omnium Gentilium:*  
 „ *dissentientes autem tale proferre non possunt* „.

Jam de prædictis judicium feramus. Non est in opti-  
 mum

(1) In Instit. Jurispr. div. l. 1. c. 4. n. 66. 67.

(2) In doctr. Jur. nat. c. 4. §. 15.

num Juris naturæ principium eligendum, nisi quod necessariis omnibus polleat attributis. Auctores isti toti sunt in expolienda aliqua socialitatis controversæ proprietate, quam quidem ultro damus: at de ceteris, & quidem necessariis omnino silent. Quod præcipuè contra socialitatis principium facit, *ut sit adequatum, ut actus respiciat internos, erga seipsum, & Deum*, ne ullum quidem verbum.

Ceterum & quæ maximoperè commendatur *ipsius principii evidentia*, est utique, quod illi opponam, nec meâ tantùm sententiâ, sed & Protestantium ipsorum, quorum minimè suspectum esse debet iudicium. Et quidem ante omnes prodeat Christianus ille Thomasius, de quo prolata fuere verba illa paulò superiùs. Hic (1) exponens longissimam Puffendorfi circuitionem veluti a prima rerum origine, ut principium illud suum inferat socialitatis, tum demum concludit: *Ita ille (scilicet Puffendorfius): atque jejunam hanc perissologiam Auctor hęc obtrudit, ut veritates apodicticas. sed meliore jure eidem opponas: hæc ne connexio conclusionum tam evidens, ut ferè palpari possit? Et n. 8. An non de periphrasi hac quærendum, quodd veritas lateat in puteo? Et n. 15. An non obscurum exponitur per æquè obscurum? Sed ne plura. Ipsemet Thomasius, teste Fleischerò, quamvis in Jurisprudencia divina sententiam de socialitate contra omnes dissentientium objectiones strenuè tueretur; ipse tamen eam postea reliquit, postquam satùs perspexit, multis ipsam difficultatibus esse expositam.* Hęc Fleischerus (2).

Balthasar Vernherus Jurisconsultus Protestanticus (3) sic de Puffendorfiò scribit: *Puffendorfius per suam hypothesein in particularibus juris naturæ præceptis expoliendis haud raro extra limites exerrat, neque ex suo principio, sed ex mera æquitate, pro qua sæpiùs in utramque partem argu-*  
men-

(1) L. 1. c. 4. n. 6. in l. Instit. Jurispr. div.

(2) In Instit. J. N. & G. l. 1. c. 6. §. 38.

(3) In Elem. J. N. c. 5. n. 14.



*menta suppetunt, dictata rectæ rationis derivat: aliquando planè hæsitat, sententiæ incertus &c. Accedit, quòd non ita in proclivi sit, quid sit socialitas, & si vel maximè eam explicas, ut ea omnia, quæ ad humanam societatem faciunt, jure naturæ præcepta, & quæ eidem repugnant, prohibita esse dicantur; hæc tamen, quænam sint, non ita expeditum est.*

Heinnecius (1) sic de hujus principii evidentia scribit: *Evidens quidem est, hominem vivere debere socialiter; sed non statim expeditum est, qualem esse oporteat socialitatem: nam & latrones vivunt socialiter: societas ergo est terminus æquivocus; quod æquivocum est, non potest esse evidens.*

Et revera negari non potest, in aliquibus Juris naturalis officiis constare evidenter de socialitatis Puffendorfiæ principio; at in aliis non ita. Sic Mascovius Puffendorfi commentator adnotavit, obscurum esse hoc socialitatis principium in concursu, & collisione officiorum majoris, & minoris societatis, puta civitatis, & familiæ, utra erunt præferenda? Arbitrio suo Mascovius ipse decernendum putat *primò pro minoris societatis commodo, deinde majoris.* Idcirco Puffendorfius ipse judicio Vernheri in aliquibus officiis *planè hæsitat sententiæ suæ incertus.* Quare conficitur, imaginariam esse principii ipsius jactatam evidentiam.

Ipsemet Vernherus l. c. obscuritatem principii socialitatis *in officiis erga Deum,* (quæ nonnulli Puffendorfi faventes, dicunt posse indirectè exinde deduci) hominibus nocere maximè ostendit: *Officiorum erga Deum necessitas non nisi indirectè ex eo fluit. Atqui fundamentum, quod universæ morum disciplinæ substernendum est, ita perspicuum esse debet, ut quisvis sanæ mentis directè omnia officia ex eo liquidò cognoscere possit.* Optimè Vernherus; quæ sanè verba, quàm futilia sint Puffendorfi argumenta, ostendunt,  
ad

(1) In Prælat. Acad. in l. Puffend. de Off. hom. & Civ. l. 1. c. 1. §. 8. 9.

ad inferenda officia erga Deum ex principio socialitatis, ab ipsomet quidem omissa in toto libro *de J. N. & G.*, sed deinde proposita in opusculo *de Off. hom. & Civ.* Stat Ver-  
neri proposita ratio circa rem in morum disciplina satis ne-  
cessariam & principalem.

III. Verùm, antequam ad aliorum J. N. Scriptorum  
sententias deveniamus, quid nobis hoc super Principio fir-  
mum sit; paulò fusiùs exponamus. Quæ enim hic exhibe-  
mus, maximi sunt emolumenti; immò & necessaria supra  
quàm cuique credibile est. Sed priùs sunt aliqua in memo-  
riam revocanda, quæ uniformitatem exhibeant systematis  
nostri in re gravissimi momenti, ut diximus.

Et primò, *Honestatem* rei intrinsecam in conformitate  
rei ipsius cum natura rationali sitam esse, asseruimus, &  
(nisi me omnia fallant) satis probavimus: pariratione *In-*  
*honestatem* seu *Turpitudinem* rei in difformitate rei ipsius  
a natura rationali constituimus.

Rursus *legem naturalem* in Dei voluntate præcipientem,  
quæ honesta necessariò sunt; & quæ inhonesta sunt,  
prohibente: & hanc esse legem naturalem apud Deum. Le-  
gem autem naturalem quoad nos esse, lumen nostri intelle-  
ctus de prædicta Dei voluntate nos exercitè certos reddens.

Tertio *principium cognoscitivum* legis naturalis esse  
duplex: illud videlicet *ex quo deduci* possint officia omnia  
legis naturalis: & illud, *ad quod*, veluti *ad finem* omnia  
*referantur* legis naturalis officia. Juxta ergo hæc a nobis  
statuta, dicimus.

„ Principium cognoscitivum Juris naturalis, *ex quo sci-*  
„ licet *erui possunt* Juris naturæ præcepta; esse: *Quod est*  
„ *necessariò conforme, aut difforme naturæ rationali, est Ju-*  
„ *re naturæ præceptum, vel prohibitum* „.

„ Principium cognoscitivum Juris naturalis habens *ra-*  
„ *tionem finis*, est: *Quod est necessarium ad felicitatem na-*  
„ *turæ rationali propriam, est Jure naturæ præceptum: quod*

„ *est*

„ est oppositum felicitati naturæ rationalis , est Jure naturæ ,  
 „ prohibitum „ .

Principium tandem indicativum , seu manifestativum Juris naturalis esse „ : *Rationem in nobis existentem , manifestantem bonum faciendum , & malum fugiendum ; item „ Intimum quemdam sensum exercitè illud ipsum suadentem ; „ tandem Auctoritatem sive divinam , sive etiam humanam „ supra omnem exceptionem „ .*

Hæc autem omnia , ut videre licèt , consentanea sunt iis , quæ hæctenus tradidimus . Profectò *utrumque* Principium *cognoscitivum* , diversâ licèt ratione , tamen eundem præstat effectum , videlicet , *cognoscendi Juris naturalis* . Tertium verò , quod est Principium *indicativum* exposui idcirco , ut dignosceretur , quomodo nobis prima illa duo Principia innotescant . Augustinum in hoc ducem habeo : *Noli foras ire , in te ipsum redi ; in interiore homine habitat veritas* . Addidi autem postremo loco Auctoritatem *divinam* , ut errare Protestantes innuerem , qui a scientia Juris naturalis rejiciunt Scripturarum sacrarum revelationem , & *humanam supra omnem exceptionem* , ut sic & Ecclesiam Christi verbo divino tamen innixam , & SS. Patres potissimum indicarem : horum enim mores virtutibus cum moralibus , tum maximè christianis præditi , optimè nos exemplo docere possunt , & verbis fidem augere , dum explicant , quæ vel necessariò conformia sint naturæ rationali , aut difformia ; vel ad felicitatem naturæ rationali propriam necessariò conducant , vel ab ea avertant .

Ut autem ex traditis Principiis dignoscatur ; quomodo in particulares actiones fiat ex illis congrua applicatio : concipiamus hominem cum triplici illo respectu in hoc mundo constitutum , videlicet erga Deum , erga seipsum , erga alios ; & aliquid agere volentem , quod ad Deum spectat . Illo utens principio cognoscitivo , quod est *primum* , sic ratiocinabitur : *Quod est necessariò conforme , aut difforme na-*

*tura rationali, est Jure naturæ præceptum, vel prohibitum. Atqui actus hic erga Deum est naturæ rationali necessariè conformis. Erit ergo præceptus Jure naturæ. Sic utique rationabitur de amore Dei. Pari usus ratiocinatione ad ea, quæ sunt Juris naturalis erga seipsum, vel alios progreditur. Possit aliquando dubitatio oriri circa necessariam conformitatem, ut inde inferatur Præceptum ex Jure naturæ. Dixi aliquando: sæpissimè enim Ratio ipsa, pro data occasione, citra omnem dubitationem, bonum faciendum, vel malum fugiendum repræsentat: quin & intimus quidam sensus, ubi de eligendo objecto vel turpi, vel honesto; aut de actu eliciendo amoris, aut odii respectu determinati alicujus objecti, agatur: hominem ad honesta peragenda videtur inducere: nisi cupiditatibus irretitus animus intimi sensus sui voces vel spernat, vel non consideret. Si verò aliquando necessaria illa conformitas ad constituendum J. N. præceptum nequeat dignosci: optima in hujusmodi actibus lex erit, animum advertere ad actum oppositum, ibique statim necessaria turpitudine, seu difformitas a natura rationali exhibebitur. Sic amorem ipsum Dei esse necessariò honestum, scilicet conformem naturæ rationali; patebit manifestè ex ejus opposito, nimirum ex odio ipso Dei, quod sanè præferret de se necessariam intrinsecam turpitudinem, atque inhonestatem: Cùmque juxta vulgatum illud Dialecticorum axioma, oppositorum eadem est ratio, & disciplina; inferri illud facilè erit: „ Ergo amor Dei est intrinsecè, ac necessariò honestus, seu Jure naturæ præceptus. „ Idem dicas de aliis J. N. præceptis.*

Diximus paulò ante, *hominem in hoc mundo cum triplici respectu fuisse constitutum. Et Jure quidem merito. Deus enim, qui hominem condidit, & ad finem sapientiæ suæ dignissimum, scilicet ad felicitatem naturæ ipsius rationalis propriam disposuit, lumine quodam naturali eum donavit, quo se primùm tanquam Conditorem, & Governatorem,*

rorem, & Legislatorem agnosceret: tum ad ea, quibus homo ipse in particulari constaret, ad *animam* scilicet cum suis facultatibus, & ad *corpus* suis organis sensoriis præditum, mentem adverteret: ac denique in aliorum sibi æqualium societate se collocatum agnosceret. Ex quibus omnibus homo ipse *rationis lumine* adjutus ferri se statim sentiat ad ea præstanda officia, quæ Deum, quæ seipsum, quæ alios respiciunt. *Lumen* item *rationis*, quæ sint officia sibi ipsi conformia, quæve difformia, capax est exhibere; unde honestas intrinseca, & turpitudine in actibus dignosci possit: exhibet pariformiter voluntatem Dei Legislatoris, aliqua præcipientis, alia prohibentis, habitâ ratione ad necessariam honestatem, vel turpitudinem actuum: unde Lex naturalis constituitur: Ex prædictis autem officiis rectè præstitis hominem haurire felicitatem suam, disposuit Deus hominis ipsius Conditor, Gubernator, ac Legislator.

IV. Sed locus admonet, ut de hominis *Felicitate*, qui finis est Legis naturalis, differamus. Est sanè *Felicitas* naturalis *Bonum illud summum*, de quo & inter veteres Philosophos, & verò etiam inter recentiores maximè disputatum est. Profectò maximi interest, quodnam sit revera unicuique Bonum suum, *Felicitatem* scilicet suam naturalem, nosse? *Nullò modo*, ajebat Seneca, *prodesse tibi possum, quàm si tibi bonum tuum ostendo, si te a mutis animalibus separo*, (quæ certè felicitate non gaudent): *si cum Deo pono* (qui omnium felicissimus est, ut nihil supra) (1). Equidem Senecæ testimonio utor libenter, in cujus libris solidissima sunt complura J. N. fundamenta; quidquid asserat Coccejus (2), fuisse scilicet Senecam *Juris prudentiæ parum peritum*.

Ut autem ordine procedatur, quid alii de hominis felicitate opinati fuerint, proponam: deinde, quid ipse sentiam.

C c 2

(1) Ep. 124.

(2) In Comm. ad Gr. lib. 3. c. 29. §. 25.

tiam? Scio, plures fuisse, & esse hac super re Philosophorum sententias, ut eas percensere omnes nimis esset operosum, & nullius fortasse operæ pretii. A Varrone bis centum & duodeviginti oppositæ, aut certè discordes referuntur de humana felicitate opiniones, ut miraretur Augustinus: (1) *Ipsi Philosophi . . . qui non videntur laborasse in studiis suis, nisi ut invenirent, quomodo vivendum esset accommodatè ad Beatitudinem capessendam, dissenserunt & a magistris discipuli, & inter se condiscipuli.* Verùm possunt in triplicem veluti classem omnes distribui, juxta triplicem Boni cujuscunque naturam. Alii siquidem in *Bono honesto* seu in *Virtute* felicitatem collocabant: alii in *Bono delectabili*: ac demum alii in *Bono utili*. Recentiorum quoque sententias ad harum aliquam reduci posse, constat, si ex benè expendantur.

Cum primis illis sentit Seneca, duce *ratione*, ut ipse asserit: *In hoc uno positam esse beatam vitam, ut in nobis ratio perfecta sit* (2) Idcirco Felicitatem in virtute esse constitutam, asserit *de vita beata* pluribus in locis; & c. 16. sic colligit: *Ergo in virtute posita est vera Felicitas.* Et paulò post: *Quid ergo? Virtus ad vivendum beatè sufficit, perfecta illa, & divina? quidni sufficiat? imò superfluit.*

Qui *sensu* duce reguntur, in *Bono delectabili* felicitatem reponunt. De hujusmodi hominibus sic loquitur Seneca, eos redarguens (3), *Tu voluptatem complecteris: ego compesco. Tu voluptate fruëris: ego utor. Tu illam summum Bonum putas: Ego nec bonum. Tu omnia voluptatis causâ facis: ego nihil.*

Alii tandem in *Bono utili*, seu in vitæ commodis felicitatem constituunt. Et hi quidem putant se cum primis illis sentire, qui *Virtuti, bonoque honesto* felicitatem ad-

scri-

(1) L. 18. c. 41. de Civ.

(2) Epist. 92.

(3) L. de vita beata c. 10.

scribunt ; ita tamen , ut utile misceatur . Hos tamen increpat Seneca probans , malè eos cum virtute , pro constituendo summo Bono , adungere externa commoda , quæ vel levissimum pondus addunt , vel nullum omnino . *Virtus* (1) enim tantum bonum est , ut istas accessiones minutas non sentiat . Et ib. *Commoda sunt in vita , & Incommoda , utraque extra nos . Si non est miser Vir bonus , quamvis omnibus prematur incommodis : quomodo non beatissimus , etsi aliquibus commodis destituatur ?* Et alibi ostendit , secundum rationem agere , qui externa omnia bona contemnit . Sic (2) *Hanc (rationem) si audire volueris , dicet tibi : Relinque ista jamdudum , ad quæ discurritur . Relinque divitias , aut periculum possidentium , aut onus . Relinque corporis , atque animi voluptates : molliunt , & enervant . Relinque ambitum : tumida res est , vana , ventosa : nullum habet terminum : tam sollicita est , ne quem ante se videat , quàm ne post se alium : laborat invidiâ , & quidem duplici . Vides autem , quàm miser sit is , cui invidetur , si & invidet . Intueris illas Potentium domos , illa tumultuosa , rixâ salutantium , limina ? multum habent contumeliarum , ut intres ; plus , cum intraveris . Præter istos gradus divitum , & magno aggestu suspensa vestibula : non in prærupto tantum istic stabis , sed in lubrico . . . Quæcunque videntur eminere in rebus humanis , quamvis pusilla sint , & comparatione humiliorum existant ; per difficiles tamen , & arduos tramites adeuntur .*

Sed nullibi meliùs errorem detegit , quàm (3) ubi contra illos sic urget : *Vir bonus , quod honestè se facturum putaverit , faciet , etiamsi laboriosum erit ; faciet , etiamsi damnosum erit ; faciet , etiamsi periculosum erit . Rursus quod turpe erit , non faciet ; etiamsi pecuniam offert , etiamsi volupta-*

(1) Ep. 92.

(2) Epist. 84.

(3) Epist. 76.

*luptatem, etiamsi potentiam. Ab honesto nullâ re deterretur, ad turpia nulla spe invitabitur.*

Illud autem mirabilius videtur, & paradoxo simile, quod Epicurei ipsi qui *Bono delectabili* felicitatem inesse putant, *Virtutem* tamen non excludant: adeo *rationalis* animus, etsi *σαρμὸς*, tamen dignitati suæ aliquo modo cupit consulere. Volunt proinde, felicitatem oriri ex Voluptate, quæ a Virtute proficiscitur. *Epicurus*, ait Seneca Epicuri interpret studiosissimus, quamvis diversa omnino sceleretur (1), quoque iudicat, cum virtutem habeat, beatum esse: sed ipsam virtutem non satis esse ad beatam vitam; quia beatum efficiat, voluptas, quæ ex virtute est, non ipsa virtus. Sed occurrit illico sententiæ huic: *Inepta distinctio*. Idem enim negat, unquam virtutem esse sine voluptate. Ita si ei iuncta semper est, atque inseparabilis, & sola satis est, habet enim secum voluptatem, sine qua non est, etiam cum sola est. Alibi autem multò meliùs, ac solidiùs epicureos virtutis pallio se tegentes exagitat (2) Negant, posse voluptatem a virtute diduci, & ajunt, nec honestè quemquam vivere; ut non jucundè; nec jucundè, ut non honestè vivat. Non video, quomodo ista tam diversa in eadem copulam conjiciantur. Quid est, oro vos, cur separari voluptas a virtute non possit? Videlicet, quod omne boni ex virtute principium est: ex hujus radicibus etiam ea, quæ vos & amatis, & expetitis, oriuntur. Sed, si ista indiscreta essent, non videremus quædam jucunda, sed non honesta: quædam verò honestissima, sed aspera, & per dolores exigenda. Tum (3) ulteriùs contra illos invehitur: Quid dissimilia, imò diversa componitis? Altum quoddam est virtus, excelsum, regale, invidium, infatigabile: voluptas, humile, servile, imbecillum, caducum... Summum Bonum im-

morta-

(1) Ep. 85.

(2) L. de vita beata c. 6.

(3) Ib. cap. 7.



mortale est, nescit exire; nec satietatem habet, nec pœnitentiam: nunquam enim recta mens vertitur: nec sibi odio est, neo quidquam mutavit optima. At voluptas tunc, cùm maximè delectat, extinguitur. Concludit itaque adversus hujusmodi epicureos sibi de virtutis nomine gloriantes (1). Desinant ergo inconvenientia jungere, & virtuti voluptatem implicare, per quod vitium pessimis quibusque adulantur. Ille effusus in voluptates, quia scit se cum voluptate vivere, credit & cum virtute: audit enim, voluptatem a virtute separari non posse; deinde vitiis suis sapientiam inscribit, & abscondenda profitetur... Itaque quod unum habebant in malis bonum, perdunt, peccandi verecundiam. Laudant enim ea, quibus erubescabant, & vitio gloriantur: ideoque ne resurgere quidem Adolescentiæ licet, cùm honestus turpi desidiæ titulus accessit. Hæc quidem homo ethnicus contra epicureos protulit, quæ magno sanè cum christiani nominis dedecore aptari possent nostrorum temporum hominibus, qui turpia quævis pulcherrimis titulis donant, & quæ inhonestissima sunt, in Juris naturalis principiis reponere non verentur.

His itaque maturè perpensis, cùm ad propositum *Felicitatis naturæ rationalis propriæ* scopum deveniamus, videtur primo adpectu prono veluti alveo propositio ad primam illam de bono honesto, seu de virtute sententiam deferri. Verùm enim verò non adhuc omnia, quæ ad rem definiendam necessaria sunt, expendimus. Alia consideremus.

Possent nonnemo objicere, homines a natura ad felicitatem trahi quidem, sed utrum ad felicitatem *naturæ rationalis* propriam rapiantur, ignotum esse: Deinde in quonam ipsa *felicitas naturæ rationalis*, siquidem ad eam homines traherentur, sita sit? Profectò quicumque felicitati inhiant, non aliam sibi optant felicitatem, nisi eam, quam quisque in seipso experitur, frustra aliis inclamantibus. Neque enim in animo meo est aliorum felicitas, nec mea in aliorum. Unusquisque sibi

Ec-

(1) Ib. c. 12.

felix . Optimè quidem . Sed & hic opportunè Seneca de communi inveniendæ felicitatis errore conqueritur: (1) *ergo in quo erratur ? Cùm omnes beatam vitam optent , instrumenta ejus pro ipsa habent ; & illam , dum petunt , fugiunt .* Erroris causa hæc est videlicet , quia non , ubi versatur Felicitas , ab omnibus quæritur . Est ergo in primis observandum , an vera Felicitas non nisi in natura *rationali* esse potest ? Equidem assero ,, in rationali natura esse ,, tantummodo posse Felicitatem ,, .

Etenim *Felicitas* statum hominis denotat , non rem brevi perituram , & caducam . Ad hunc statum natura nos disposuit , quando ad felicitatem disposuit ; & quisque , ubi ad aliqua conatur , vires eò dirigit , aptatque animum , ubi putat posse feliciter consistere , si pervenerit . *Nisi stabili , & fixo , & permanente bono , beatus esse nemo potest : nihil enim inveterascere , nihil extingui , nil cadere debet eorum , quæ in vita beata consistunt .* Sic de felicitate opinabatur Tullius (2) Et ibidem . *Omne beatum est , cui nihil deest , & quod in suo genere expletum , atque cumulatum est : idque virtutis est proprium .* Et (3) alibi : *Nec appellatur omnino vita beata , nisi confecta , atque absoluta : nec enim potest aliàs quisquam beatus esse , aliàs miser .* Idcirco amicis suis exprobrabat Boëtius (4) præproperum de sua ipsius felicitate judicium :

*Quid me felicem toties jactâstis , amici ?  
Qui cecidit , stabili non erat ille gradu .*

At verò si mentem advertamus ad bona quæcunque e sensibus orta , nihil in illis solidi , atque adeo nil non caduci inveniemus . *Voluptas tunc , cùm maximè delectat , ex-*  
*tin-*

(1) Epist. 44.

(2) L. 1. Tuscul.

(3) In lib. de fin.

(4) De consol. 1.

tinguitur. Nec multum loci habet. Itaque citò implet & tadio est, & post primum impetum marcescit (1). Sanè si voluptarius Epicureus posset semper in illo versari suæ voluptatis momento: vix equidem puto naturale argumentum, spectato vitæ præsentis cursu, posse inveniri ad illius animum expugnandum. Possemus utique illum ad honestas virtutis partes amplectendas hortari, argumentis a Bono honesto ductis: reponeret tamen, *se esse sine virtute felicem*. At experientiâ teste, voluptas non semper æquè sentitur, & brevi præterit, & invitis etiam nobis in mœrorem vertitur. Non est ergo a sensibus haurienda felicitas. *Infelices quidam non sine voluptate, immò ob ipsam voluptatem esse*, adnotavit Seneca (2).

Accedit, quòd, si Felicitas e sensibus oriretur, Animalia longè hominibus præstarent in felicitate. Sic optimè ratiocinatur Seneca (3) *Multa, quæ bona videri volunt, animalibus quàm homini pleniora contingunt. Illa cibo avidius utuntur: venere non æquè fatigantur: virium illis major est, & æquabilior firmitus. Sequitur, ut multò feliciora sint homine. Nam sine nequitia, sine fraudibus degunt; fruuntur voluptatibus, quas & magis capiunt, & ex facili sine ullo pudoris, ac pœnitentiæ metu. . . Summum Bonum in animo constituamus. Obsolescit, si ab optima nostrî parte ad pessimam transit, & transfertur ad sensus, qui agiliores sunt animalibus mutis. Non est summa felicitatis nostræ in carne ponenda.*

Exinde etiam aliud contra hujusmodi homines argumentum Philosophus iste urgebat (4) sic: *Aut ista bona non sunt, quæ vocantur, aut homo felicior est Deo; quoniam quidem quæ parata nobis sunt, non habet in usu Deus:*

Tom. I.

D d

nec

- (1) Sen. de vit. beata c. 7. in fin.  
 (2) De vita beata l. c.  
 (3) Epist. 74.  
 (4) Ibidem.

*nec enim libido ad illum, nec epularum lautitia, nec opes; nec quidquam ex his hominem inescantibus, & vili voluptate ducentibus, pertinet. Ergo aut, quod incredibile est, bona Deo desunt: aut hoc ipsum argumentum est, bona non esse, quæ Deo desunt.*

Tandem, ut cetera præteream, si in bono sensus *Felicitatis* bonum consisteret, nulla non hominibus esset querenda voluptas, & quidem laudabiliter; nullus non esset dolor fugiendus quacunquæ ex causa. Atqui non eos effecit homines natura, quos tamen ad Felicitatem destinavit. Etenim ratio, quam natura ducem homini indidit, hominis ipsius felicitati adversaretur: atque ita homo contrariis a natura ipsa æquè bonis principiis ageretur. Quo quid absurdius? Idipsum Senecæ testimonio comprobari potest. Si de bono sensus judicarent (1), nullam voluptatem rejiceremus: nulla enim non invitatur, nulla non delectatur. E contrario nullum dolorem volentes subiremus; nullus enim non offendit sensum. Præterea non essent digni reprehensione, quibus nimium voluptas placet, quibusque summus est doloris timor. Atqui improbamus gulæ, ac libidini addictos; & contemnimus illos, qui nihil viriliter ausuri sunt doloris metu. Quid autem peccant, si sensibus, idest iudicibus boni, ac mali parent? His enim tradidistis appetitionis, ac fugæ arbitrium... Apud istos vilissima pars datur de meliore sententia, ut de bono pronunciet sensus, obtusa res, & hebes, & in homine quàm in aliis animalibus tardior.

Restat ergo, ut vera Felicitas non nisi in natura rationali, seu in hominis natura, quæ ratione prædita sit, reponatur. Sanè complures etiam Recentiores *Naturæ* nomine abutentes illud *Bonum* absolutè pronunciant, quod secundum *Naturam* dicitur. Sed & in hoc egregiè falluntur: neque ad ipsos convincendos vel ad sacras Scripturas, vel ad sanctos Patres, vel ad dogmaticam Theologiam neces-

se

(1) Epist. 124.

se est confugere , ( quibus certissimè detegatur , quid inter naturam ratione utentem , & naturam cupiditatibus obnoxiam , & servientem interest ) : Unum illis opponere juvat ethnicum hominem philosophum Senecam (1) . Explicans ipse , quid sit , & quomodo sit intelligendum illud : *Bonum est , quod secundùm naturam est .* Subdit : *Attende quid dicam . Quod bonum est , & secundùm naturam est : non protinus quod secundùm naturam est : & bonum est . Unde aliquid cognoscitur bonum ? Si perfectè secundùm naturam est .* En itaque totius æquivocationis , & certè nimium deplorabilis origo . Clariùs autem alio in loco (2) sibi sic objicit : *Quid ergo ? aliquid contra naturam bonum est ? Minimè . Sed illud aliquando contra naturam est , in quo bonum illud existit ... Et , ut , quod volo , exprimam breviter : materia boni aliquando contra naturam , at bonum nunquam . Quoniam bonum sine ratione nullum est . Sequitur autem ratio naturam .* Est ergo bonum illud , quod secundùm *rationalem* naturam est : quod sanè est , esse *perfectè* secundùm naturam . Sed ulteriùs rem hanc demonstramus , ut clarissimè constet , in *natura rationali* sitam esse hominis *Felicitatem* .

Profectò ubi nihil agit *Ratio* , nulla esse potest *Felicitas* . Neque enim *bonum quodcumque* , ut diximus , *felicitatem* parit , sed quod *perfectum* est , quod *permanens* est , quod *expletum* , & *cumulatum* est . Hoc autem Bonum non nisi a *Ratione* expectari potest . Ratio enim bono cuicumque supremam perfectionem tribuit , dum homini in felici statu existenti mentem & considerantiam ad bonum ipsum , quo fruatur , largitur . Nemo enim perfectè felix est , nisi si statum suum sentiat ; & consideratè animadvertat . Infantes idcirco , & Amentes non plenè sibi felices judicamus , quia ad felicitatem ipsi suam ratione non utentes non advertunt . Et nemo in Brutis felicitatem agnovit , quia ratione consi-

D d 2

dc-

(1) Epist. 118.

(2) Epist. 66.

derante cōstituuntur. In *muto animali*, ait Seneca (1) *non est, quo beata vita efficitur. Ergo in muto animali bonum non est. Mutum animal sensu comprehendit præsentia: præteritorum reminiscitur, cum id incidit, quo sensus admonetur: tanquam equus reminiscitur viæ, cum ad initium ejus admotus est. In stabulo quiaem nulla viæ, quamvis sæpè calcata memoria est. Tertium verò tempus, idest futurum, ad muta non pertinet. Quomodo ergo potest eorum videri perfecta natura, quibus usus perfecti temporis non est? ... Non potest ergo perfecta naturæ bonum (idest Felicitas) in imperfecta esse natura. Et alibi (2) dixerat: Si cui sua non videntur amplissima, licet totius mundi dominus sit, tamen miser est.*

Patet itaque, *felicitem* veram naturæ rationali, quæ *rationalis* est; unice convenire. Sed fidem solvamus, & in quonam ea consistat, continuò definiamus.

*Felicitas naturæ rationalis propria est, Status hominis constituti in quiete rationis, & voluntatis, Seu melius: Status hominis in pace, & tranquillitate suarum facultatum existentis.*

Ne autem *λογομαχία* laboremus, duo, quæ separatim consideranda sunt, non esse miscenda judico. Alterum videlicet est *medium* ad Felicitatem obtinendam, alterum est *ipsamet Felicitas*. Sanè, & Veterum plures, & Recentiorum etiam plurimi vel *Virtutem*, vel *Voluptatem*, vel *Vitæ commoda*, vel *Naturæ perfectiones* pro Felicitate obtrudunt. Ast immeritò. Felicitas enim illud est summum, & consistens bonum, quod obtineri posset ope horum, & ad quod consequendum homo vel *virtutes* amplectitur, vel *voluptates*, vel *commoda*, vel (quod ad unum aliquod istorum refertur) *naturam perficiendam* sibi sumit, eòque vires intendit. Est ergo aliquid aliud *Felicitas* præter illa. Nimirum *Tranquillitas*, & *Pax facultatum Animæ rationalis*, seu *perfecta quies rationis, & voluntatis*. Explicanda

(1) Epist. 123.

(2) Epist. 9.

da igitur hæc prius, & quærenda via ad illam inveniendam.

Dixi primùm: Felicitatem esse *statum hominis*. Etenim non est felix meo iudicio homo, ut adnotavimus, nisi in bono perfecto *consistens* sit. Videant ergo, qui in terris vitam istam vivunt: num felices dici, aut esse revera possint? Minimè gentium. Natura autem animis hominum stimulos ad felicitatem dedit, ut, quàm possint proximè, ad illam accederent. Fide divinâ nobis innotuit, non hic, sed in futura cælesti Patria *statum* nobis veræ, solidæque felicitatis exhiberi.

Dixi deinde: *quietem* tum *rationis*, tum *voluntatis*, seu *pacem*, & *tranquillitatem Animæ rationalis*, non certè otiosam, & minimè activam, sed actibus nostræ rationis, ac voluntatis acquisitam; hanc utique esse Animæ rationalis felicitatem, ejusque summum bonum, dico. Siquidem Ratio facultas est Animæ rationalis, & quidem primaria, nunquam quiescens nisi in *Veri* cognitione. Patet idcirco experientiâ, quoties de re aliqua dubitatur, Animum hominis irrequietum esse, & ubi tandem veritas detegatur, illi firmissimè adhærere, & quiescere. Neque hoc tantummodo, sed & exinde tranquillâ pace, & gaudio affici animum, atque ita lætari, ut pro magnitudine *Veri* detecti in effusas gestientis animi significationes erumpat aliquando. Exemplo sit, quod de celeberrimo Viro, gentis siculæ ornamento, Archimede narratur. Cùm ex Hieronis regis mandato solvendum illi esset de aurea corona problema, & diu in demonstratione inveniendâ incertus animo hæssisset: tandem balneorum aquis se immergens *Verum* illud, quod apodicticè quærebat, mente concepit, tantâque sensit se lætitiâ circumfusum, ut per vias gestiens excurreret, nuditatis suæ immemor, & identidem inclamaret *ἔυρηκα ἔυρηκα*. Equis unquam vel Nomentanus, vel Apicius, vel Epicureus alius tantis incessisse lætitiis visus est, ut exclamaret præ gaudio: *inebriatus sum, epulatus sum, voluptate satiatus sum?* Nemo unquam certè. *Aspice Nomentanum, & A-*  
*pi-*

picium, ait Seneca, (1) terrarum, & maris, (ut isti vocant) bona conquirentes, & super mensam recognoscentes omnium gentium animalia. Vide eosdem e lectis suis spectantes popinam suam, aures vocum sono, spectaculis oculos, saporibus palatum suum delectantes. Mollibus, lenibusque fomentis totum laceffitur eorum corpus: & ne nares interim cessent, odoribus variis inficitur locus ipse, in quo luxuriae parentatur. Hos esse in voluptatibus dices: nec tamen illis bene erit, quia non bono gaudent. Conferantur modò, quæ de Archimede diximus, cum iis, quæ voluptuosus hominibus contingere, perspicuum est: & quid inter ipsos circa veram felicitatem intersit, continuò dignoscetur.

In Vero etiam physico quiescit ratio, & inde etiam gaudet. In Vero divino, sive quod ad Deum spectet, sive quod a Deo hauriatur, & maximopere quiescit, & gaudia capit eximia homo, & ratio inibi perfectâ pace, & tranquillitate fruitur. Sanè humana hæc naturalis felicitas analogica est æternæ immortalique felicitati, quam Animæ ipsi rationali promittit Deus, naturæ ipsius rationalis benignus assertor, gratiæ suæ divinæ supra naturæ ordinem largitor, & gloriæ cælestis sponsor. Novimus autem, in clara divinorum Attributionum cognitione, seu in cognitione summi Veri humanam rationem plenissimè acquiescere, atque a plenissima illa rationis pace beatum hominem reddi: erit in cælo rationi etiam gaudio rerum aliarum in Deo ipso perspecta natura, & ordo: ut, quæ tot annos didicerint hic sapientes, minimum quid sit præscientia illa. Audiatur Augustinus, quem, ut aliis in rebus, ita in re hac præceptorem vereor etiam lubentissimè: *Erit (in Cælo) rerum omnium scientia sine errore, vel labore, ubi Dei sapientia de ipso suo fonte potabitur* (2). Revera non alibi, quàm in Cælo Ratio nostra perfici ita potest, ut nihil illi ultra, quod quærat

(1) De Vita beata c. 11.

(2) De Civ. l. 21. c. 24.



rat, relinquatur; & idcirco non nisi in Cœlo Anima rationalis plenam consequi potest felicitatem. Nostra autem felicitas hic ex veri cujuscunque cognitione, in qua intellectus, dum perficitur, quiescit, aliquo modo haberi potest. Cognovit hoc idem Seneca, ubi (1) asserit: *Cum sola ratio perficit hominem, sola ratio perfecta beatum facit. Hoc autem unum hominis bonum est, quo uno beatus efficitur.* Et rursus (2) *In hoc uno positam esse beatam vitam, ut in nobis ratio perfecta sit.* Via autem ad obtinendam rationis nostræ quietem, seu pacem, ac tranquillitatem majorem in hac vita nobis indicatur, si liberalibus disciplinis operam demus, si sapientum consortio utamur, vel in libris, vel in colloquiis; si mentem, & ingenium ad ea, quæ sunt cognoscenda, intendamus; si præterea divini luminis opem debita cum Animi demissione efflagitemus. Conandum itaque nobis est toto vitæ nostræ tempore, ut ad Veri cognitionem in omni actu ratio nostra nos dirigat, & in pace, ac tranquillitate, quoad ejus fieri potest, nos statuatur.

Plurimum itaque confert, ubi ex rerum molestiis perturbatur Animus, rationem dirigere ad ea dogmata, quæ vel morum Philosophia, vel Fides esse vera, demonstrat. Ex primo fonte hausta fuere a Seneca præclarissima illa, ac veritate plena effata, quibus & seipsum in ærumnis suis, & amicos, & matrem quoque suam consolabatur. Ex ipso etiam fonte, quidquid de cæteris Philosophis ethnicis narratur, depromptum fuit. Ex altero fonte scilicet Fidei tot christianæ religionis Heröes, & præ cæteris tot Christi Martyres inter tormenta, & corporis cruciatus maximam sibi comparabant fortitudinem, pacem, & alacritatem: *Pone Martyrem*, ajebat Ambrosius pulcherrimâ quadam hypotypo-  
rum

(1) In epist. 72.

(2) Epist. 92.

(3) In Pl. 118.

rum ad incutiendum terrorem infremat, aliunde stridor candentium laminarum, & flamma fornacis ardentis exæstuet, ex parte alia personent tractus gravium catenarum: hinc Carnifex cruentus assistat: pone, inquam, circumspēctantem omnia plena suppliciis, deinde cogitantem mandata divina, illum ignem perpetuum, illud sine fine incendium perfidorum, illam pœnæ recrudescentis ærumnam: trepidare corde, ne, dum præsentibus cedit, perpetuis se dedat exitiis: perturbari animo, dum futuri iudicii triumpham illam terribilem quadam conspectus specie contuetur. Nonne ad hanc trepidationem fiducia Viri constantis, æqualis in eundem, concurrat effectum confidentia cupientis æterna, & divina trepidantis? Ex pari consideratione firmari Animus noster debet, & quò clarior rationi nostræ veritas effulgeat, eò fortior in adversis rebus mens erit, & tranquillitate etiam inter tempestates majore perfruetur.

Verùm non in rationis tantùm quiete, sed & in voluntatis etiam acquiescentis pace felicitas ipsa hominis quàm maximè sita est. Hanc utique esse novimus voluntatis nostræ proprietatem, ut Bono adhæreat, nec ullibi quiescat nisi in Boni assecutione, quod quidem actibus suis veluti brachiis voluntas amplectitur, & in ea, ut ita dicam, conjunctione morali, quoad ejus fieri possit, vel maximè delectatur. Illud autem certissimum est, & communi hominum experientiâ satis abundè exploratum, in nullo creato bono posse a voluntate pacem inveniri, & quietem, præter Deum. Veteres ethnici, ut qui lumine Fidei destituebantur, minimè poterant veritatem hanc clarè dignoscere, & explicare: conabantur nihilo tamen minus, quoad ratione naturali progredi poterant. Non recedat a nobis Seneca. Ipse (1) sic Lucilium hortatur: *Propè est a te Deus, tecum est, intus est. Ita dico, Lucili, sacer intra nos spiritus sedet, malorum bonorumque nostrorum observator, & custos:*

(1) Epist. 41.

*sos: hic prout a nobis tractatus est, ita nos ipse tractat. Bonus Vir sine Deo nemo est. An potest aliquis supra fortunam, nisi ab illo adjutus, exsurgere? Ille dat consilia, magnifica, & erecta. In unoquoque Virorum bonorum (quis Deus, incertum est) habitat Deus. Ubi agnoscitur incertæ mentis judicium de veri Dei attributis in homine Fidei divinæ lumine destituto ut ut philosopho, quod quidem vel rudis quivis homo Christianus satis superque novit, Fidei scilicet divinæ fretus præsidio. Alibi (1) ait: Inter bonos Viros, ac Deum amicitia est conciliante virtute. Amicitiam dico? immò etiam necessitudo, & similitudo: quoniam quidem Bonus ipse tempore tantùm a Deo differt, discipulus, æmulatorque, & vera progenies. Alibi (2) ad perferendos vitæ hujus adversos casus aliam non exhibet tranquillitatis, atque adedò fortitudinis speciem nobiliorem, quàm quantum a Deo hauriri possit. Quomodo hic potest Deo parere, & quidquid evenit, bono animo excipere, nec de fato queri, casuum suorum benignus interpret?.. Illò ergo summum Bonum ascendit, unde nullà vi detrahitur: quò neque dolori, neque spei, neque timori sit aditus, neque ulli rei, quæ deterius summi Boni jus faciat. . . Et ut bonus Miles feret vulnera, enumerabit cicatrices, & transverberatus telis, moriens amabit eum, pro quo cadet, Imperatorem: habebit in animo illud vetus præceptum: Deum sequere.*

Quid? quòd ratio etiam ipsa hoc suadet. Etenim creata omnia bona habent semper aliquid mali sibi admixtum, neque sunt simpliciter, & perfectè bona. Quare & multò magis esse non possunt summum bonum. Atqui felicitas in summi boni possessione consistit. Constat ergo, in creatis quibuscunque bonis felicitatem sitam minimè esse. Reliquum est igitur, ut in uno Deo reponatur. Sanè Plato in *Timæo* expressè asseruit lumine ipso naturali, unum esse summum

Tom. I.

E c

Bo-

(1) Libro de Providentia c. 2.

(2) De Vita beata c. 15.

Bonum, Deum videlicet: *Deus est summum Bonum, supra omnem substantiam, omnemque naturam, quod cuncta expectant; cum ipse sit plenæ perfectionis, nullius societatis indigus.* Ac revera aded apud sapientiores ethnicos Philosophos receptissimum hoc erat effatum, ut axiomatis loco dicerent: *θεὸς γὰρ ὁ θεὸς ἐν τυχεῖ βροτῶν ἀνευ.* *Felix sine Deo nemo Mortalium est.* Quantò autem luculentius Præceptores nostri, Sancti Patres nimirum ex lumine fidei de hoc vero scripsere? Infinitus essem, si vellem omnia per censere. Quæ si non omnia, at saltem aliqua sunt persequenda.

Illud autem primo loco sit, quod ex divino Christi Domini ore accepimus, narrante Matthæo (1), Marco (2), & Luca (3). Ubi enim de *Bono*, & quidem *Summo*, utpote quo felicitas haberi possit, fuit interrogatus, aperte pronunciavit, aliud non esse summum Bonum, nisi Deum: *Quid boni faciam, ut habeam vitam æternam?* Respondit: *Quid me interrogas de bono? Unus est Bonus, Deus.* Et alibi: *Quid me dicis bonum? Nemo bonus, nisi unus Deus.* Huic divino pronunciato consonat Augustinus (4): *Quid plura, & plura? Bonum hoc, bonum illud. Tolle hoc, & illud, & vide ipsum bonum, si potes, ita Deum videbis non alio bono bonum, sed bonum omnis boni.* Inde profectò sequitur, ut voluntas nostra ex illa, ut dicebam, conjunctione, & morali vinculo amoris cum Deo, perfectam pacem, ac felicitatem nanciscatur. *Tunc Pax*, ait Augustinus (5), *erit perfecta in nobis, quando, naturâ nostrâ Creatori suo inseparabiliter coherente, nihil nobis repugnabit ex nobis.* Quare concludebat idem Augustinus (6) *qui veram pacem desiderat, prius cum Deo habere consuescat.* Et ali-

- (1) 19. 17.
- (2) 10. 18.
- (3) 18. 19.
- (4) De Trin. l. 8. c. 3.
- (5) De Consens. c. 7.
- (6) Serm. 8.

alibi (1) : Dicebat Epicurus , mihi frui carne bonum est : dicebat Stoicus , mihi frui meâ mente bonum est : dicebat Apostolus , mihi autem adhærere Deo bonum est . Errat Epicurus , fallitur Stoicus ; tunc enim rectè Anima vivit , si non secundùm carnem , neque secundùm seipsum vivit , sed secundùm Deum . Sicut enim Anima carnis , ita Deus animæ vita est . Similia habet Ambrosius (2) quid hoc bono melius , quid hac felicitate felicius , vivere Deo , vivere de Deo ? Pari modo loquitur Leo (3) ; Tunc est vera Pax hominis , & vera libertas ; quando & caro animâ iudice regitur , & animus Deo præside gubernatur . Et ibidem : Hæc est vera Pax , a Dei voluntate non dividi , & in his , quæ solius Dei sunt , delectari . Pulcherrimam autem exhibet mentis ideam Bernardus (4) , ubi animum hominis docet , non nisi Deo posse plenè satiari : Ad imaginem Dei facta Anima rationalis , cæteris omnibus occupari potest , repleri omnino non potest : capacem enim Dei , quidquid Deo minus est , non implebit .

Inde patet evidenti ratione , quàm a felicitate longiùs aberrent , qui præter Deum in bonis externis quibuscunque felicitatem quærunt . Cùm hæc omnia in animos nostros extrinsecùs per corpus introducantur , non intrinsecùs inclusa in ipsis sint , minùs possunt in nobis ipsis felicitatem parere . Etenim felicitas in intimis animi nostri penentralibus residere debet ; ajente Seneca (5) : Tunc beatum esse te iudica , cùm tibi ex te gaudium omne nascetur ; cum in his , quæ homines eripiunt , optant , custodiunt , nihil inveneris , non dico , quod malis , sed quod velis . Vanum omnino est , & inutile studium , externa cumulare bona , ut felix sis . Animus est , qui commendat omnia . Vidi ego in villa hila-

E e 2

ri .

- (1) L. 1. c. 4. & 5. de Constant.
- (2) Lib. de Offic.
- (3) Serm. 9. de Nativ.
- (4) Serm. de dedic.
- (5) Epist. 124.

ri, & amantâ mæstos, vidi in media solitudine occupatis similes (1). Quid? si quot bona extrinsecus accedant, totidem mala congerantur intrinsecus? Quod sanè æquilibrium sanctissimè in tota generis humani Universitate servatum a suprema Dei Providentia, apodicticè posse demonstrari, contento; juxta illud: *Minus gaudebis, minus dolebis; magis gaudebis, magis dolebis*. Erit homo iste externâ specie felix, re tamen ipsâ infelicissimus. *Etenim quamvis plurimâ pace, & curâ externâ fruamur, si intra nos cogitationum nascitur tempestas, tumultus, & seditio, nihil externa pax nobis proderit. Sicut & neque miserabilius est aliquid Civitate, quæ licet præfidiis, & muris benè munita sit, intus tamen Cives fræveat proditores* (2). Inde innumerabiles illæ ad externa effusi animi proprietates, quas graphicè describit Seneca (3): „ Hinc illud, quod unicè ad hujusmodi homines spectat: *Displicere sibi*: quod sanè oritur ab interie animi, & cupiditatibus timidis, aut parum prosperis, ubi aut non audent, quantum concupiscunt, aut non consequuntur; & in spem toti prominent, semper instabiles, mobilesque: & ubi sine præmio labor est, torquet illos irritum dedecus; eosque pœnitentia cœpti tenet, subrepique illa jactatio animi non invenientis exitum, quia nec cupiditatibus suis imperare, nec obsequi possunt: & cunctatio vitæ parùm se explicantis, & inter destituta vota torpentis animi situs. Etenim ubi causas fateri pudet, tormenta introrsus agit verecundia, in angusto incluse cupiditates sine exitu se ipsæ strangulant. Inde mœror, marcorque, & mille fluctus mentis incertæ: hinc pœnæ incubat suæ, dum tædet sui, pigetque. Illud etiam, quod proprium ægri est, nihil diu pati, & mutationibus, ut remediis uti; modò mari se,

„ mo-

(1) Sen. epist. 55.

(2) Chrysol. hom. 34. in Gen.

(3) Lib. de Tranquillitate Animi c. 2.

„ modò terrâ experitur semper præsentibus infesta levitas :  
 „ jam delicata fastidio sunt , inculta videantur : aliud ex  
 „ alio suscipitur , & spectacula spectaculis mutantur ; ut  
 „ ait Lucretius : *Hoc se quisque modo semper fugit* . Sed  
 „ quid prodest , si non effugit ? Sequitur se ipse , & urget  
 „ gravissimus comes . Infirmi ad omne tolerandum , nec  
 „ laboris patientes , nec voluptatis , nec nostræ , nec ullius  
 „ diutiùs . Hoc quosdam egit ad mortem , quòd proposita  
 „ sæpè mutando in eadem revolvebantur , & non relique-  
 „ rant novitati locum . Fastidio illis cæpit esse vita , & ip-  
 „ se mundus : & subit illud rabidarum deliciarum : quous-  
 „ que eadem ? „ Hæc e Senecæ deprompta penu malui fu-  
 „ siùs referre , ut videatur , quanta sit inter christianos San-  
 „ ctos Doctores , & Philosophiæ moralis cultores in hac re  
 consensus .

Illud etiam ex Jure Naturæ ad pacem obtinendam ser-  
 vari debet , quod ad custodiendum in officiis ordinem spe-  
 ctat . Est enim Pax juxta Augustinum (1) *tranquillitas or-*  
*dinis* ; & quemadmodum in bene ordinata quadam Repu-  
 blica vigeat Pax , quoties *ordo* servabitur , ut Superioribus  
 pareant subditi , & Magistratus in officio cives contineant  
 ita , ut *tranquillitatem* custodiant , ne videlicet seditionibus ,  
 aut alio quovis maleficio in mutuam discordiam procedentes  
 omnia perturbent : ita in bene moratis animis pax erit ,  
 & felicitas , si debitus in præstandis officiis *ordo* servetur ,  
 & *tranquillitati* , quantum fieri potest , studeatur . Etenim  
 ex perturbato officiorum ordine , & ex neglecta tranquilli-  
 tatis cura omnia in animos nostros mala derivant , & fu-  
 gatâ pace , de felicitatis statu in miserimam prolabimur  
 miseriam .

Equidem loco suo , ubi *de officiis* , & *officiorum con-*  
*curso* , expendam , quonam præstanda sint ordinis officia ?  
 Hic autem paucis rem hanc expediam .

In

(1) L. 19. de Civ. c. 13.

In Juris Naturæ Officiis coordinandis Lumen ipsum rationali naturæ inditum Magistratûs partes obtinet. Ex ipso autem ordinem officiorum accipimus: nempe officia erga *Deum* Conditorem, Governatorem, ac Legislatorem naturæ ipsius rationalis, principem locum obtinere: tum officia erga *seipsum*: deinde erga *alios*. Hic ordo pro temporum, ac rerum varietate actioni hominis aptandus est, ut pace homo perfruatur. Erit itaque pax in homine, si *omnia rationi subjiciantur*, & *ratio ipso subjiciatur Deo*. Ex hujusmodi ordine vera oritur animi nostri perfectio, quam alibi frustra quærant cum Wolfio ceteri J. N. protestantes Scriptores. Locus hic est, modum explicandi, quo animus noster tali pacto verè, ac solidè *perficiatur*: in hujusmodi enim *perfectione* sita pariter est hominis felicitas.

Sanè ad Felicitatem naturæ rationalis posuimus utriusque facultatis, *Rationis* nimirum, ac *Voluntatis* quietem, & pacem; perfectio autem utriusque facultatis in utraque recto quodam ordine instruendâ obtinetur. Primò quidem rectus pro *Ratione* ordo servabitur in cognitione *veri* tum necessarii, tum utilis; cum *humani*, tum maximè *divini*, acquirenda: & contra rei noxiæ, vel periculosæ vitanda. Si quidem prima illa cognitio perficit animum, secunda inficit. Rursum arceatur propriorum officiorum *ignorantia*, perniciosa rationis pestis: idcirco studiosè curetur notitia officiorum ad se spectantium, in iisque addiscendis sedulo, ac diligenter habeatur ratio dignitati officiorum. Præterea mens ipsa liberalibus disciplinis quâ naturalibus, quâ naturâ superioribus excolatur: atque adeo usus doctrinæ totius dirigatur, prout oportet, ad quælibet honesta, ne cui videlicet illud objiciatur, quod olim Augustinus *Licentio* his verbis, quæ nolim hic prætermittere: *Si calicem aureum invenisses, donares illum Ecclesiæ. Accepisti a Deo ingenium aureum, & in illo. Satanae propinas?* Alia plura tradentur  
tomo 2.

Tran-



*Tranquillitati etiam Rationis facit maximè, si vulgares vitentur errores, quod sanè obtinebitur i. studio facultatum: quibus ab animo præjudiciorum caligo depellitur, & occulti Veri clariùs lumen effulget. ii. Ope librorum utilium, non multorum, sed Auctorum probatorum. Hæreat animo Senecæ præceptum (1): Illud vide, ne lectio multorum Auctorum, & omnis generis voluminum habeat aliquid vagum, & instabile. . . . Distrabit Animum librorum multitudo. Itaque cum legere non possis, quantum habueris; sat est habere, quantum legas. . . . Fastidientis stomachi est, multa degustare; quæ, ubi varia sunt, & diversa, inquinant, non alant. Probatos itaque semper lege: & si quando ad alios divertere libuerit, ad priores redi. Illud etiam Tullii effatum ad rem nostram plurimùm confert (2): Ut, cum in sole ambulamus, fit ut coloremur: sic cum Doctorum libros legimus; sentimus, orationem nostram quasi colorari. Idcirco optimorum Scriptorum lectione mens nostra perficitur, & ad virtutem allicitur. iii. Congressu, & consuetudine Bonorum, & verè Sapientum. Plus tibi, ajebat Seneca (3) & viva vox, & convictus, quàm oratio proderit. . . . Primum quia homines ampliùs oculis, quàm auribus credunt: Deinde quia longum iter per præcepta; breve, & efficax per exempla. Subdit deinde exempla plurimum Philosophorum, qui ex aliorum Sapientum convictu nimium profecerint. Dixi autem virorum proborum, & verè sapientum: incredibile enim dictu est, quantum noceat semidoctorum, ac pseudocatonum societas, eorum nempe, qui docti, ac probi videri volunt, non esse; & sapientes aliis esse cupiunt, non sibi. Optimè in rem hanc Seneca (4): Illud te admoneo, nec eorum more, qui non proficere, sed*

con-

(1) Epist. 1.

(2) L. 2. de Orat. c. 14.

(3) Epist. 6.

(4) Epist. 5.

conspici cupiunt, facies aliqua, quæ in habitu tuo, aut genere vitæ notabilia sint. Asperum cultum, & intonsum caput, & negligentiorē barbā, & quidquid aliud ambitionem perversā viā sequitur, devita . . . Intus omnia dissimilia sint: frons nostra Populo conveniat . . . Id agamus, ut meliorem vitam sequamur, quàm vulgus, non ut contrariam.

Sed summo studio illorum familiaritas caveatur, quorum vita malè audit, quorum lingua fræno caret, quorum mores in præceptis ruunt. Itaque consulendum est *Fame*. Profectò qui Epicuri hortulos intrabat: ubi hoc erat inscriptum: *Hospes hîc bene manebis, hîc summum bonum voluptas est*; inter molles, effæminatōsque ab omnibus accensebatur; quamvis & plura ibi traderentur sapientiæ plena præcepta. Quod quidem adnotavit Seneca (1): *Itaque non dico, quod plerique nostrorum, sectam Epicuri flagitiorum magistram esse: sed illud dico, malè audit, infamis est: & immeritò. Nec hoc scire quisquam potest, nisi interiùs fuerit admissus: frons ipsa dat locum fabule, & ad malam spem invitat*. Et antea dixerat: *Honestæ præcepta intrâ latent; quod corrumpit, apparet*. Sic reputaberis, quemadmodum ille, cui te adjunxeris, in communi hominum erit existimatione. Idcirco rectè monebat idem Seneca (2): *Hominiū utique delectus habendus est; an digni sint, quibus partem vitæ nostræ impendamus, an ad illos temporis nostri jactura perveniat*. Et (3) deinde subdit: *Quos scilicet vacuos, quantum fieri poterit, a cupiditatibus, eligemus. Serpunt enim vitia, & in proximum quemque transfiliunt, & contactu nocent*. Itaque, ut in pestilentia cavendum est, ne corruptis jam corporibus, & morbo flagrantibus assideamus, quia pericula trabemus, afflatuque ipso laborabimus: ita in amicorum legendis ingeniis dabimus operam, ut quàm minimè inquinatos assumamus.

Pari

- (1) L. de vita beata c. 13.  
 (2) L. de tranquill. An. c. 6.  
 (3) Cap. seq.

Pari ratione & vitandi illi modis omnibus, qui *effrenati linguæ* sunt, ac petulantes linguosi sive in iis, quæ ad Religionem, sive in iis, quæ ad Principum decreta, sive denique in iis, quæ ad bonam aliorum æstimationem spectant. De Socrate illud produnt historiæ, cum ab eo quæsitum fuisset, quanam ratione pax, & tranquillitas servari alicubi possit, respondisse illum protinus: *præcisit omnium linguas*. Cum iis tandem, qui vel voluptatibus, vel alio vitiorum genere *mores coinquinant* suos, familiaritatem nullam habere, par est. Rem hanc egregiè Seneca etiam expressit (1): *Sumuntur a conversantibus mores: & ut quedam in contactos corporis vitia transfiliunt, ita animus mala sua proximis tradit. Ebriosus convictorem in amorem vini traxit: impudicorum cæcus fortem quoque, & siliceum virum ammollit: avaritia in proximos virus suum transfudit.*

In *Voluntatis officii* pariter habendus est ordo rectus, ut voluntas perficiatur, & pacem obtineat. Primò *Deum*; tum *nos ipsos*; tertio *alios* amore prosequamur. Triplicem hunc amorem nobis natura indidit: hoc triplici amore ritè coordinato pax animi, & tranquillitas obtinetur: eo sine perturbantur omnia, nulla erit felicitatis idea. Primus autem in Jure naturæ amor Deum naturæ rationalis Conditorem, Governatorem, Legislatorem respicit, & hujus amoris ope cum *summo Bono* conjungit se homo, eoque *Bono summo* fruitur, quo sibi modo licitum est. Bini alii amores huic subsunt, oportet; utque ad centrum lineæ quælibet ex circuli peripheria tendunt, atque uniuntur: ita & sui ipsius amor, & aliorum pariter, si rectus est, & ex Jure naturæ proveniens, cum Dei amore conjungitur. Sine recto sui ipsius, atque aliorum amore Dei amor non est, & sine Dei amore pax nulla, aut tranquillitas, aut felicitas dari unquam potest. Dei enim lex naturalis id omne præcipit: quo neglecto, felicitatem omnem ruere necesse est; & frustra

Tom. I.

F f

per-

(1) De Ira l. 3. c. 8.

perfectionem animi quæres. Contrà verò ex amoris ordine benè disposito omnia feliciter cedent, & interna pax dominabitur. His omnibus fidem faciunt divina eloquia. Sic *Jobi 9.* habemus: *quis resistit ei (Deo), & pacem habuit?* Et ibidem (1) *Acquiesce ei (Deo), & habeto pacem.* In *Psalmo 118.* dicitur: *Pax multa diligentibus legem tuam.* Alibi (2) *Secura mens (scilicet culpæ nullius conscia) quasi jure Convivium.* Et e contrario (3) *Impiï quasi mare fervens, quod quiescere non possunt; & alibi passim.*

Profectò in amore quiescit voluntas nostra, sed in amore, ut dixi, debito, & benè ordinato: non enim qui amat, continuò felix est, sed qui ex amore debito non animi perturbationem, sed veram tranquillitatem consequitur. Optimè hic Augustinus (4), *Amant homines res diversas, & quando quisque, quod amat, habere videtur, felix vocatur. Verè autem felix est, non si id habet, quod amat; sed si id amat, quod amandum est.* In rebus enim iis, quæ bona dicuntur, sed non sunt, nihil est, quod solidè ametur; nihil, quod in amore tranquillitatem voluntati pariat, atque hoc idcirco natura effecit, ut simul doceret, alibi querendam nobis felicitatem: *Ideo, ait Augustinus, (5) Deus felicitatibus terrenis amaritudines miscet, ut illa queratur felicitas, cujus dulcedo non est fallax.* Id ipsum lumine naturali assequuti sunt sapientes ethnici. De hominibus, fallacia hæc, & fugacia bona inordinate amantibus, ita sapientes illi loquebantur, quasi de infelicissimis quibusque. *Nulla major pœna nequitiae est, quàm quod sibi, ac suis displicet (6).* Rursus: *mala facinora conscientia flagellari, & plurimum illi tormentorum esse, eò quod perpetua illam solli-*

(1) C. 22.

(2) Prov. 15.

(3) Isa. 57.

(4) Super Ps. 26.

(5) Serm. 29. super Matth.

(6) Sen. epist. 41.

*solicitude urget , ac verberat , quodd sponsoribus securitatis suæ non potest credere (1). Et paulò post : Multos fortuna liberat pœnâ , metu neminem . Quare ? Quia infixæ nobis ejus rei aversatio est , quam natura damnavit . Ideo nunquam fides latendi fit etiam latentibus , quia coarguit illos conscientia , & ipsos sibi ostendit . Proprium autem est nocentium , trepidare . Ex quibus liquidò apparet , nullam dari posse pacem , ac tranquillitatem iis , qui voluntatis officia debita non implent , sed vitiis obtemperantes negligunt .*

Possent autem hic objici , nonnulla videlicet Juris naturæ officia a *solicitudine* non vacare . Cùmque *solicitudo* tranquillitati , & paci adversetur : sequi proinde necesse sit , ex Juris naturæ officiis non oriri in hominum animis felicitatem . Exempli autem *solicitudinum* erui possunt 1. ex *cura corporis nostri* . 2. ex *cura bonorum ad vitam pertinentium* . 3. ex *cura boni nominis* . 4. ex *cura Familiæ , Uxoris , Liberos* : vel etiam in Famulis respectu *Domini* , in reipublicæ Administris pro *Republica* , in Opifice pro *opere suo* . Possent etiam huc adduci *solicitudo* erga Deum , ut ipsi placeamus : erga nos ipsos , animumque nostrum , ut a vitiorum illecebris custodiamur : erga alios in rerum penuria constitutos , ut ab angustiis sublevantur : erga alios rursus , ut cum omnibus seruetur amor , pax , & vera concordia animorum . Hæc autem omnia *solicitudinum* genera possunt e sacris Libris optinè erui , ut homini , officia Juris naturæ servare volenti , convenire extra omnem dubitationem ostendatur .

Sed ut difficultati propositæ faciam satis : illud est summo opere adnotandum , in duplici significatione sumi posse *solicitudinis* vocabulum , quo Scripturæ sacræ , & Patres utuntur , quamque pro diversa acceptione vel vituperant , vel commendant . Sanè illam approbant , quæ cum solerti ,

Ff 2

atten-

(1) Sen. epist. 96.

attenta que diligentia , ac studio confunditur . Hujusmodi certè sollicitudo necessaria est , nedum utilis , & laudabilis in omni re : *In omnibus abundantis fide , & sermone , & scientiâ , & omni sollicitudine* , scribebat Paulus (1) . Et alibi jussit Deus , hominem purgare se de negligentia inexplendis officiis suis admissa , quod solent pauci admodum agere : *De negligentia tua purga te cum paucis* (2) .

Alia autem est *sollicitudo* , quæ dicit anxietatem , inquietudinem , immoderatam intemperantis animi curam ; quæque diligentia adhibitæ intemptivè superadditur . Atque hæc in Scripturis sanctis prohibetur juxta illud Pauli (3) : *Nihil solliciti sitis* . Jubetque idem Apostolus , loco hujus improbatæ sollicitudinis adhibendas esse preces ad Deum post adhibitam videlicet , prout oportet , diligentiam : *Nihil solliciti sitis , sed in omni oratione , & obsecratione , cum gratiarum actione petitiones vestrae innotescant apud Deum* . Hujusmodi sollicitudine agi noluit discipulos suos divinus Præceptor , ubi ait : *Ideo dico vobis , ne solliciti sitis animæ vestrae , quid manducetis , neque corpori vestro , quid induamini* (4) . Et ibidem : *de vestimento quid solliciti estis ?* Et paulò post . *Nolite ergo solliciti esse dicentes : quid manducabimus , aut quid bibemus , aut quo operiemur ?* Immo nec de die sequenti prædictam sollicitudinem approbavit ibid. *Nolite ergo solliciti esse in crastinum . Crastinus enim dies sollicitus erit sibi ipsi . Sufficit diei molitia sua* . Profectò non aliam nobis sollicitudinem Dominus interdixit , nisi quæ *anxia* sit , & *inquieta* : diligentiam verò , & curam jussit adhiberi . Quod confirmat etiam pluribus in locis Paulus . Sic (5) *qui sine uxore est , sollicitus est , quæ Domini sunt , quomodo placeat Deo . Qui autem eum uxore est , sollicitus est , quæ sunt*

*Mun-*

(1) 2. Ad Corinthios . 8.

(2) Eccli 7. 34.

(3) Ad Philip. 4. 6.

(4) Matth. 6. 25.

(5) 1. ad Cor. 7. 32.

*Mundi, quomodo placeat uxori*. Ibidem (1) explicat sollicitudinem pro cura illa, quam habere debent inter se corporis membra: *Ut non sit schisma in Corpore, sed idipsum pro in vicem sollicita sint membra*. Rursus (2) laudat prædictam sollicitudinem: *Gratias autem Deo, qui dedit eandem sollicitudinem pro vobis in corde Titi*. Et infra 22. *Fratrem nostrum, quem probavimus in multis sæpè sollicitum esse: nunc autem multò sollicitiorem*. Hujusmodi verò sollicitudinem expressè indicavit, quæ paci non modò non adverteretur, sed & maximè conferat: idcirco jubebat, eos de servanda pace sollicitos esse mirum in modum (3) *soliciti servare unitatem spiritus in vinculo pacis*.

Hæc itaque cum ita se habeant, nihil est, quod exinde contra propositam a nobis in Jure naturæ pacem, ac tranquillitatem aliquid eruatur, in *præstandis* solerter omnibus Juris naturæ officiis. Sollicitudo in primis, seu diligentia habenda est pro *ritè distribuendis officiis*; unde, ut dicebam, vera pax, & tranquillitas, atque adeo felicitas animæ nostræ oritur. Augustini hac super re sapientissima dogmata lubenter profero. Is (4) ait: *Et si Deus omni homine amplius diligendus est, amplius quisque debet Deum diligere, quàm seipsum*. Item *amplius alius homo diligendus est, quàm corpus nostrum: quia propter Deum omnia ista diligenda sunt, & potest nobiscum alius homo Deo perfrui, quod non potest corpus: quia corpus per animam vivit, que fruimur Deo*. Et (5) dixerat antea: *quatuor sunt diligenda: unum, quod supra nos est. Deus nempe. Alterum, quod nos sumus, anima nimirum nostra. Tertium, quod juxta nos est, anima Proximi. Quartum, quod infra nos est,*

(1) Cap. 12. 25.

(2) 2. ad Cor. 8. 16.

(3) Ad Eph. 4. 3.

(4) L. 1. de Doctr. Christ. c. 27.

(5) lb. c. 23.

est, corpus scilicet, quod animæ conjunctum est. De aliis etiam rebus, quibus ad vitam utimur, rectissimè docet (1) *Diligendæ quidem non sunt; quia eis uti licet, non autem frui. Corpus autem nostrum, quia quodammodo particeps est beatitudinis, potest dilectione caritatis amari.* His omnibus limitibus circumscripta sollicitudo, seu cura, nihil admodum paci, ac tranquillitati nostræ officit. Possent utique hæc omnia auctoritate firmari Philosophorum ethnicorum, ex solo lumine naturæ scribentium.

*Fateor (2) insitam esse nobis Corporis nostri caritatem: fateor, nos hujus gerere tutelam: nec nego indulgendum illi; serviendum nego... Agatur ejus diligentissimè cura: ita tamen, ut cum exiget ratio, cum dignitas, cum fides, mittendum in ignem sit.* Et paulò ante: *Hujus (corporis) nimius amor timoribus inquietat, sollicitudinibus onerat, contumeliis objicit.* Hunc autem amorem nimium corporis adeo sibi vitio vertebat, ut assereret. *Honestum ei vile est, cui corpus nimis carum est.* Pari modo loquitur sæpissimè de rebus aliis, unde aliqua oriri anxietas possit. Mala est anxietas ipsa de re quapiam, quæ in animo residet, non res ipsa. Sic enim habet idem Seneca (3): *Multis parasse divitias, non finis miseriarum fuit, sed mutatio. Non hoc miror: Non est enim in rebus vitium, sed in ipso animo. Illud, quod paupertatem gravem fecerat, & divitias graves fecit. Quemadmodum nihil differt, utrum agrum in ligneo lecto, an in aureo colles: quodcumque illum transfuleris, morbum suum secum transfert: sic nihil refert, utrum animus ager in divitiis, an in paupertate ponatur. Malum suum illum sequitur.*

Propositum ergo principium Felicitatis, ad quod Juris naturæ diriguntur omnia omnino præcepta, & officia, modo a nobis explicato, optimè stat, & aptari commodè omnibus

(1) L. 7. de Civ. c. 22.

(2) Ajebat Seneca ep. 14.

(3) Extr. epist. 17.



nibus illis potest, quæ Natura nobis exhibet adimplenda.

— Sed de *Felicitate*, qui Finis est Juris totius naturalis, plura dedimus; non quidem, ut puto, superflua. Tanti siquidem est res hæc, ut, quantum operæ impendatur, fiat semper compendiosa.

Ex hæcenus dictis colligi licet, posse dignosci Juris, naturæ præcepta tum ex conformitate intrinseca necessaria rei præceptæ cum natura rationali; tum ex eo, quòd res illa ad felicitatem naturæ rationali propriam, necessario conducit. Et utrumque posse esse optimum ad decernenda J. N. officia criterium. Ad hoc autem criterium probè aptandum particularibus quibuscunque officiis, illud est advertendum, quod supra posuimus, ut discerni commodè queat Juris naturæ præceptum a simplici consilio, quod sanè in quolibet virtutis actu haberi, & concipi potest. Adverti autem debet, ubi de præcepto, aut consilio dubitatur, an actus virtuti illi oppositus ex recto rationis lumine dignoscatur necessariam continere turpitudinem, seu difformitatem a natura rationali: in quo casu actus ille virtutis, de quo fortè dubitatur, erit ex J. N. præceptus, utpote necessariam continens cum natura rationali conformitatem. Si verò in actu opposito hujusmodi necessaria turpitudinis non appareat: actus controversus virtutis non erit J. N. præceptus. Sit exemplum in officio erga Proximum *de largiendis elemosynis*. Si dubitetur, utrum officium hoc obliget ex præcepto, an non? Consideretur omissio hujus officii, utrum in ea circumstantia præferat necessariam turpitudinem, an non? Et juxta modò statutum principium decerni potest, an sit de præcepto, an de mero consilio actus ille officii erga Proximum? Pari modo dici debet de principio spectante ad Felicitatem.

Huc reduci queunt aliqua J. N. principia, quæ ab aliis traduntur: ut videlicet *Bonum faciendum, malum vitandum, prout necessarium est ad Felicitatem humanæ naturæ,*

tan-

*tanquam ad ipsius finem . Vel illud : Juris naturæ præceptum ; vel prohibitum est , quod ad felicem statum naturæ humanæ simpliciter expedit , esse præceptum , vel prohibitum . Vel etiam : Fac , vel omitte ea , quæ ex amore Deo , Tibi , & Proximo naturaliter debito , hoc est ad felicitatem naturæ rationali propriam necessariò vel facienda sunt , vel omittenda . Vel pariter : Quod est necessarium ad felicitatem naturalem homini sive in particulari , sive in communi assequendam , illud est legis naturalis præceptum : quod verò est minùs necessarium , est levius præceptum , atque alia hujusmodi , quæ ad Principium nostrum habens rationem finis reduci possunt .*

Finis itaque proximus , & immediatus , quem officia omnia Juris naturæ respiciunt , est *Felicitas propria naturæ rationalis* : hæc autem haberi nequit , nisi in Deo quiescat Ratio , & Voluntas animæ humanæ , ut suprâ exposuimus . Unde fit , ut ultimò tandem ad *Deum* , tanquam ad *ultimum finem* reducantur officia Juris naturalis . Idcirco , si quærat , „ *Cur hæc , vel hæc officia sint præcepta in Jure naturæ ?* „ Reponi posset : *quia sunt necessaria ad Felicitatem naturæ rationali propriam* „ . Rursum si quærat , „ *car hæc , vel hæc alia sint in Jure naturæ prohibita* „ ? Respondebitur optimè , *quia necessariò opponuntur felicitati naturæ rationali propriae* „ . Quod sanè satis esse debet pro constituendo Fine immediato Juris naturalis , quem Deus indidit naturæ ipsi rationali .

Ipsa autem officia , quæ a *Jure naturæ* præcipiuntur , ita sunt Felicitati naturæ rationalis necessaria , ut sine iis obtineri omnino illa non possit : non ita verò se res habet in iis , quæ a *Jure positivo* ex libera Legislatorum voluntate præcipiuntur . Siquidem hæc debent utique ad bonum commune , & ad felicitatem humani generis conducere ; sed non sunt necessaria ad finem prædictum . Felicitas enim absolutè , & simpliciter esse potest ex sola lege naturali , servatis , prout oportet , Juris ipsius naturalis officiis . Non sunt

sunt itaque pari modo necessaria, ac est lex naturalis.

Illud autem superest paulò ulterius explicandum, quid sit, esse necessarium ad felicitatem, & quid sit, opponi necessariò felicitati? Profectò: *Omne id, quo existente, Felicitas naturæ rationalis non existit, dicitur oppositum necessariò Felicitati ipsius naturæ rationalis.* Et e contrario: *Omne id, quo non existente, dari non potest Felicitas prædicta, est necessarium Felicitati ipsi.* Sic triplex ille amor rectè ordinatus is est, *quo deficiente, Felicitas deficit*: est ergo Felicitati *necessarius*. Contrà quidquid triplici illi amori rectè ordinato necessariò opponitur, utique tale est, ut eo existente Felicitas haberi nequeat. Est ergo Felicitati *necessariò* oppositum. Sic *perjurium, mendacium, luxuria*, aliaque hujusmodi, ea sunt, quibus existentibus, nullo pacto existere *Felicitas* potest: sunt ergo *necessariò* opposita Felicitati naturæ rationalis.

Neque obstat, quòd aliquando ex *mendacio*, puta, oriri possit ingens Reipublicæ emolumentum, nedum hominis alicujus vita, aut salus: etenim mendacium semper est contra rationem: eoque existente, ratio nequit omnino quiescere: adeoque ex parte hujus facultatis primariæ in homine deficiet quies, pax, tranquillitas, & felicitas. Est ergo semper Juri naturæ contrarium. Jus autem naturæ non respicit particularia ex accidenti obvenientia, sed quod de se exinde consequitur. Calamitates verò publicæ, nedum privatæ, mors ipsa sive aliorum, sive propria non opponuntur naturæ rationali, quâ tali, quemadmodum opponitur mendacium. Felicitas ergo naturæ rationalis propria, quæ cum prædictis calamitatibus sociari potest, cum mendacio rationi ipsi directè opposito minimè coexistit.

Inde inferri etiam potest, rationi adversari *vindictam privatam*: contrà ac Juvenalis ajebat (1): *At vindicta bo-*

Tom. I.

G g

num

(1) Sat. 13.

num vitâ jucundius ipsâ. Optimè verò Seneca (1) dixit : *Inhumanum verbum est, & quidem pro justo receptum, ultio : & a contumelia non differt nisi ordine. Qui dolorem regerit, tantùm excusatiùs peccat.* Inde enim nimium quantum perturbatur pax, & tranquillitas reipublicæ : ac difficillimè ratione judice, pravis autem cupiditatibus præoccuparâ, definiri possunt ultioni limites. Non potest autem ultio dici defensio propria. Etenim ex amore sibi priùs debito, quàm alteri, defensio inculpatæ, ut ajunt, tutela oritur in Jure naturæ. Amori Deo debito adversatur *Blasphemia*, & alii contra Religionem actus. Rationi opponuntur ea omnia quæ libidinis explendæ causâ fieri possunt. Omnia vitia (2) contra naturam pugnant : omnia debitum ordinem deserunt. Hoc est *Luxuriæ propositum, gaudere perveris ; nec tantùm discedere a recto, sed quàm longissimè abire, deinde etiam e contrario stare.* Et (3) alibi advertit, vitiosos alios contra rationem pugnare, sed minùs, ac libidinosos : *Licèt avaros mihi, licèt vel iracundos enumeres, vel odia exercentes injusta, vel bella : omnes isti viriliùs peccant : in venerem, ac libidinem projectorum inhonesta labe est.* Accedit, dari etiam aliquando hisce in actibus malum contra fines intentos a natura rationali, vel contra amorem debitum humanæ societati, sumus enim a natura membra corporis magni : natura nos cognatos edidit, cum ex eisdem, & in eadem gigneret (4) : vel etiam contra amorem sibi debitu. Percurrantur alia etiam Juri naturæ obversantia flagitia, dignosci faciliè poterit perturbatus ordo in triplici illo amore, vel in eorum aliquo ; unde perturbata etiam necessariò fluet felicitatis ratio.

Quare illud tanquam generale sit confectarium : „ Quod est.

(1) De Ira l. 1. c. 32.

(2) Ait Seneca ep. 122.

(3) L. de brev. vitæ c. 6.

(4) Ait Seneca ep. 95.

„ est conforme necessariò naturæ rationali , est etiam ne-  
 „ cessarium ad Felicitatem naturæ rationali propriam : Quod  
 „ est necessariò difforme naturæ rationali , est necessariò op-  
 „ positum naturæ rationalis Felicitati „ . Utrumque autem  
 nobis manifestari vel ex intimo quodam sensu , vel ex rati-  
 one in nobis existente , vel ex auctoritate sive divina ,  
 sive etiam humana , quæ exceptionem non patiatur .

V. Ut tandem , quod in dissertationis vestibulo propo-  
 suimus , aliquorum auctorum vel ante Grotium , vel ipsi  
 æqualium , vel ipso posteriorum , dignoscamus sententias de  
 principio Juris Naturæ cognoscitivo , cursim eas proponam .

Nicolaus Hemmingius An: 1525: hoc est undecentesi-  
 mo ante Grotianum opus *de Jure belli , & Pacis* anno  
 Vittembergæ opusculum edidit *de lege Naturæ apodicticâ  
 methodo concinnata* . Hic num. 17. principium , seu legem  
 generalem Juris naturæ hanc ponit : *Quidquid convenit na-  
 turæ , & fini hominis quoad vitæ genus tum œconomicum ,  
 tum politicum , tum spirituale ; & quidquid ad statum illius  
 conservationem pertinet , id esse juris naturalis* .

Sanè pro illo triplici vitæ genere tria statuit veluti  
 axiomata . I. Vitæ *œconomica finem esse conservationem* fami-  
 liæ , & domûs per actiones œconomicas , quæ *Deum* ut fi-  
 nem bonorum respiciant : *quidquid conservat statum œcono-  
 micum incolumem per se , præcipitur lege naturæ* . Ex hoc  
 I. axioma descendunt jura inter Conjuges , inter Paren-  
 tes , & Liberos &c.

Vitæ *politica finem esse* , politiarum tranquillum , &  
 politicum statum per actiones politicas , quæ omnes eò re-  
 ferri debent , ut maneat justa ordinis politici harmonia ;  
 servato inter homines jure analogo , & Deus in humana  
 societate tanquam finis ultimus societatis humanæ constitua-  
 tur . Hinc II. axioma : *Quidquid conservat statum politicum ,  
 ( ne tamen aliquid fiat Deo adversum ) lege naturæ præci-  
 pitur* . Unde deducitur origo summæ potestatis , ac judicio-

rum, jura belli, fœderum, & quatuor virtutes cardinales:

Vitæ *spiritualis* finem esse *conservationem* ejus finis per actiones huic vitæ congruentes. Quò refertur, Deum agnoscere, agnitum colere, timere, glorificare; & ad hujus vitæ *conservationem* virtutes theologales pertinere. Est autem III. axioma: *quidquid conservat statum vitæ spiritualis, lege naturæ præcipitur.*

Addit denique IV. axioma, in quo cum nostris principiis cohærere videtur: *Quidquid convenit homini secundum rectam rationem, expetendum est: at quod cum ratione pugnat, fugiendum.*

De hoc Auctore Samuel L. B. de Cocceji sic scribit (1) *Nicolaus Hemmingius Anno 1526. lineamenta Juris Naturæ divulgavit. . . utpote quæ paucissimis paginis continentur: sed & generalia nimis, atque concisa, immò obscura admodum esse; nec conclusiones, quas inde deducit, satis cohærere, diximus* (2). Equidem viri hujus censuram ex integro approbandam non judico. Nonnulla in Hemmingio reperiri sapienter dicta, ut & in Grotio; & contra in ipsomet censore Coccejo multa a recto aberrantia esse, existimo.

Benedictus Winklerus An. 1615., decimo ante Grotiani operis editionem anno, libros quinque edidit *Principiorum Juris*. In his duplex distinguitur Naturæ Jus, prius, & posterius: illud est propriè, quod nos *Jus Naturæ* dicimus; hoc verò, quod appellamus *Jus Gentium*. De Jure autem naturæ priore sic statuit, illud situm esse in *Amore Dei, & Hominis*: Amorem enim esse vult mensuram Juris, & Justitiæ spiritum, sine quo iniuquum est, quidquid Justitiæ nomen induit. Hunc verò amorem nihil revera aliud esse, nisi *custodiam societatis, seu mutuam benevolentiam*.

De Wincklero scribit Coccejus l. c. *Magis placet Benedictus Wincklerus. . . Hic in opere doctissimo existentiam Ju-*

(1) In Prefat. Op. Grot.

(2) Vid. dissert. proœm. XI. §. 12.

*Juris Naturæ eleganter demonstravit: Deum ejus Auctorem constituit: Principium cognoscendi in amore Dei, ac hominis posuit: atque ex hoc principio singula naturæ Jura justo ordine deduxit* (1). Verùm addere debuisset hic Auctor *amorem sui ipsius* potiore ratione, quandoquidem & ante amorem aliorum locum habet; & est quid diversum a *custodia societatis*, ut patet.

Seldenus Grotio æqualis, & æmulus systema elaboravit de *Jure naturali, & gentium juxta disciplinam Hebræorum*. In hoc opere pro Jurium naturalium principio statuit *custodiam societatis humanæ*. Dat autem rationem, cur addiderit illud: *Juxta disciplinam Hebræorum*, ex eo nimirum, quod ipse putet, intellectum humanum adeo depravatam, & lumen rationis obscuratum adeo, ut in imperatis naturæ ritè discernendis hallucinari facile possit. Unde Deus Noacho revelavit naturalia præcepta, ex eaque revelatione humanum genus naturalia hæc jura didicit. Idcirco additum illud *Juxta doctrinam Hebræorum*.

Ex hoc capite censuram subiit Henrici de Cocceji (2) ubi postquam ostendit, vi rationis innotescere nobis Jus naturæ: illud amplius, quasi colligendo, asserit: *Ex sola igitur ratione dignosci jura naturæ possunt*. Et ad Apostoli auctoritatem confugit: *Hinc Apostolus existentiam Juris naturalis probaturus provocat ad Gentium conscientiam, quæ eos per justas rationis conclusiones vel excusat, vel accusat*. Quasi verò & qui ad detegenda solidius Juris Naturæ officia revelationis subsidium adjungunt, non affirmant libenter, Jus Naturæ in rationis lumine situm esse, & ejus existentiam Apostoli verbis confirmatam non agnoscant. Post relata verba subdit statim Coccejus: *Errant igitur Seldenus, Bodinus, alique, qui rationem obscuram nimis, indeque ex revelatione supplendam esse, existimant*. Equidem potiori ju-  
re

(1) Vid. dissert. proem. xi. §. 13.

(2) In Comment. ad Proleg. Gr. §. 3.

re dicerem: Errant Coccejus, aliique Protestantes potissimum, qui rationem ad juris Naturæ officia planè dignoscenda satis esse, existimant. Exemplo illis esse possunt Ethnici Philosophi, qui in tot errores Augustino teste prolapsi sunt: *Quia ut homines humanis ratiocinationibus ista quaesierunt* (1). Tandem ipsemet Coccejus aliud infert confectarium: *Errant, qui jura Naturæ ignorari posse ab hominibus, adeoque nec pœnæ reos esse, existimant*. Atque hic etiam errare ajo Coccejum, si de omnibus, ac singulis Naturæ juribus id affirmet. Ignorantia enim Juris naturalis, (quæ in particularibus Juris naturalis officiis dari utique potest) excusat operantem ex illa: deest enim necessaria advertentia, ut possit imputari. Vid. Dissert. I.

Post Grotium Samuelis Cocceji judicio produci possunt, quasi *novi aliquid statuisse credantur* Bodinus, Wachterus, ac Thomasius.

Bodinus Professor Juris in universitate hallensi novum prosecuit Juris naturalis cognoscitivum principium in disp. *de Jure Mundi*, videlicet *Ordinem*. Idcirco Jus naturæ definiit: *Voluntatem Dei sese exerentis in ordine Creaturarum, omnes Creaturas ad servandum suum Ordinem, & non perturbandum, dirigentem, & obligantem*. Hanc ipse definitionem ex Augustino (2) desumpsisse videtur.

Jamverò ad investigandum hujusmodi ordinem non aliud esse principium, aut normam, præter *Amorem*; quem esse unicum naturæ vinculum, ait; indeque omnia naturæ præcepta veluti ex principio deducit: Quare in Bodini sententia *amor* subjicitur *ordini*, vel citius ordini adnectitur: unde constat, eum cum iis, qui principium cognoscitivum *in amore* constituunt, sentire. Sunt autem hi complures, teste Samuele Coccejo (3).

Wach-

(1) De Civ. l. 18. c. 41.

(2) Lib. 22. contra Faustum c. 27.

(3) In dissert. proem. XI. c. 4. n. 21.



Wachterus in *Origin. Juris Natural.* definit Jus Naturæ: *Id, quod hominem decet, quatenus homo est.* Principium autem Juris Naturæ cognoscitivum in hac regula statuit: *Naturæ humanæ convenienter vivere.* Quod quidem principium, si de natura *rationali* fermo sit, cum nostro cohæret. Videtur autem & ita revera sentire: siquidem ex illo infert: *Hominem summo naturæ suæ jure agere, Deum colendo, conservando seipsum, & conservando proximum.*

Thomasius ( de quo suprâ dixi ) rejectâ socialitate, quam acriter in tract. *de Jure divino voluntario* defendebat, novum principium cognoscendi jura Naturæ constituit, ac *Deum velle*, ait, *ut homines faciant ea, quæ vitam hominum reddunt maximè diuturnam, & evitent ea, quæ vitam reddunt infelicem, mortemque accelerant.* Totum hoc verò ita explicatum paucis complexus est: *Fac tibi, quod vis, ut alii tibi faciant: ne facias alteri, quod tibi non vis fieri.* Profectò principium illud Thomasi cum Wolfiano congruere maximè videtur (1). Quare nihil est, quod mirer, plures Juris Naturæ Scriptores, teste Samuele Cocceji (2), Thomasio voluisse subscribere: *Hoc Systema Thomasi plures habuit Sectatores, & communiter illud receptum esse, experientia docet.* Sic vita hominum est, ut ad ea, quæ blandimento sunt animi, alacrior procedat. *Ad deteriora faciles sumus*, ait Seneca (3), *quia nec dux potest, nec comes deesse: & res etiam ipsa sine duce, sine comite procedit: non primum iter est tantùm ad vitia, sed præcepta.*

In idem Thomasi principium recidere putat Samuel de Cocceji illud Willelmi a Lith. in dissert. *de Principio primo legis naturæ*; quod est hujusmodi: *Id, quod felicitas humani generis necessaridè exigit, faciendum: quidquid verò ei repugnat, omittendum esse.* Ex quo principio Willelmus omnia

(1) De quo in dissert. IV.

(2) Dissert. XI. c. 4. §. 24. n. 2.

(3) Epist. 97.

nia deducit officia erga Deum, erga seipsum, erga proximum. Equidem non inficior, posse in illud Thomasi prolabi principium hoc; quia explicari potest felicitas pro statu delectabili hujus vitæ: cæterum, si ritè & rectè felicitas explicetur, ab illo Thomasi longè recedit, & nostro simillimum est.

De Burlamaquio aliquantò fusiùs agemus. Hic (1) considerat hominem sub triplici illo respectu communiter recepto 1. ut est creatura Dei, eique subjecta. 2. ut compositum aliquod ex Anima, & Corpore, seipsum amans; suamque felicitatem exoptans. 3. Ut pars generis humani, ad vivendum socialiter destinata. Ex hoc triplici respectu tria infert generalia principia legis naturalis, quæ, ait, esse vera, simplicia, & ad quælibet dignoscenda Juris naturalis officia sufficientia. I. Est Religionis erga Deum. II. Amoris erga seipsum. III. Sociabilitatis, seu Benevolentia erga alios (2).

Sane ex I. illo principio oriri ait: „vinculum quoddam, quo obstringitur homo Deo, & legi ipsius, ob intimum sensum honoris erga ipsum, amoris, subjectionis, & timoris, in nobis excitatum a cognitione perfectionum Entis Supremi, & omnimodæ nostræ dependentiæ ab ipso, ut nostro Conditore optimo, ac sapientissimo. „

Ex II. deducit: „Unumquemque conari debere ad suam conservationem, & perfectionem, ut eo modo felicitatem suæ naturæ, ac statui conformem pro suo captu acquirat. „

Ex III. infert: „Nos duci naturaliter ad amorem erga alios homines, ad illis benefaciendum pro nostra facultate, ad conciliandam nobis felicitatem una cum aliis & ad præferendum bono particulari commune emolumentum. „

Dein-

(1) In L. Princip. Jur. Nat. parte 2. c. 4. §. 6.

(2) §. 18.

Deinde (1) de hominis *felicitate* ratiocinatur, putatque oriri debere ex *observatione legis naturalis*. Quod probat tum ratione, tum experientiâ. *Ratione* quidem, „ quia „ vera felicitas nequit consistere in re difformi a natura, „ & statu hominis, advertentis animo non modò ad præsentia, sed etiam ad futura. Lex autem naturalis ea est, „ quæ conformissima concipi posset cum hominis natura, „ ejusque statu. „ *Experientiâ* id ipsum luculenter ostenditur: „ Ex virtute enim, ( quæ legis naturalis observatio „ est ) fons veræ, intimæque felicitatis emanat quâ homini cuicunque, quâ toti hominum societati. Contra verò ex vitio ( quod legum est naturalium transgressio ) effectus prodeunt omnino oppositi. „ Testimonium Senecæ profert (2): *quemadmodum Attalus noster dicere solebat: Malitia ipsa maximam partem veneni bibit.*

Hactenus optimè Burlamaquius: optimè etiam in describendis tum virtutis, tum vitii effectibus, & consecrariis ratiocinatur; & fucatam, quæ in vitio conspicitur, felicitatem detegit, ac spectandam exhibet. Verùm ubi de adversis, quæ Viris probis obveniunt plerunque, loquitur; systematis sui infirmitatem aperit. Etenim ibi apertè ostendit, „ non aliam sibi innotescere pro hac Vita felicitatem; „ nisi quæ in corporis sanitate, in bonis fortunæ, aliisque „ hujusmodi extrinsecis emolumentis consistit. „ Quod sanè hominis veræ, solidæque *felicitati* constituendæ minimum est, & prorsus impar. Qui hominum felicitatem in rationis, ac voluntatis pace reponimus, externis hisce rebus idcirco gaudemus, quia facultatum prædictarum paci non obstant: ex illarum verò defectu non statim a felicitate deturbamur, sed fortes consistimus, quoties in rationis pace, ac voluntatis perseveramus. Animæ nostræ immortalitas, ac status futurus in altera vita ( ad quam confugit Burla-

Tom. I.

H h

ma-

(1) c. 12.

(2) Epist. 82.

maquius) non modò supplet factò ipso quidquid ex parte rerum externarum in hac vita deest felicitatis; sed etiam ad rationis, & voluntatis pacem confirmandam maximopere conducit.

Cum Burlamaquio sentit exactè De Felice (1) illius verba, nedum sententias transcribit.

Omitto alios producere, qui vel ad relatos Auctores reduci possunt, vel nobiscum in re consentiunt, licet verbo discrepent. Inter hos accenseo Thaddeum Verenum (2) qui principium cognoscendi Juris Naturalis statuit: *quidquid Providentiæ, Justitiæ, vel alteri perfectioni Dei, Auctoris, & Gubernatoris naturæ humanæ directè opponitur; id censendum est ab eo sub gravi, vel levi culpa necessariò prohibitum: quidquid verò perfectio ejus ad sapienter creandam, & providè gubernandam naturam humanam directè exigebat, & exigit præcipi; id necessariò præceptum esse non ambigitur. Contrà verò: omne id, quod nulli perfectioni Dei, quæ Auctoris, & Gubernatoris Naturæ humanæ directè opponitur, jure naturali non est præceptum, nec prohibitum.* Hujusmodi autem principium verissimum quidem in se ipso est, & adæquatum: verum non cuivis est evidens, nisi innotescat, quid sibi velint verba illa: *Perfectiones diviniæ, & quidquid illis opponitur, vel ab illis exigitur.* Vidit sanè hoc Werenkus, & num. 88. & 89. explicans, quæ intrinsicè mala sunt, divinisque perfectionibus opposita, reponit, ea debere dignosci ex disconvenientia, quam habent cum Creatura rationali, ut finem suum consequatur scilicet felicitatem naturalem: & e contrario quæ intrinsicè bona sunt, debet Creatura rationalis modo sibi conveniente amare, revereri, & agnoscere, ut prædictum finem assequatur: quibus sanè videtur sententiæ nostræ adhærere. Atque hæc de utilissima re dicta sint satis.

DIS-

(1) In suis Lect. Jur. Nat. & Gent. to. 1. lect. 8. & in lect. 11.

(2) In lib. Juris Nat. & Gent. edito An. 1767.

## DISSERTATIO VIII.

*Quos pariat effectus Lex naturalis? ubi de Permissione.  
An revera obliget in conscientia? Diversi con-  
scientiæ respectus exponuntur.*

I. **E**ffectus a qualibet lege producti plures esse possunt; eorumque aliqui sunt veluti effectus necessarii, & proximi, qui ex requisitis in Legislatore quocunque attributis promanant: aliqui sunt veluti contingentes, & remoti, qui ad aliquem finem obtinendum a legelata ex Voluntate Legislatoris pendent. Profectò in Legislatore tria dari necessariò debent: *Potestas* videlicet, *Sapientia*, & *Bonitas*. Quæ quidem tria si in omni consiliario requiruntur, ut bonum ab illo consilium excipiatur: is enim esse debet consiliator, ut possit, ut sciat, ut velit bonum consilium præstare; in Legislatore tamen vel maximè illa sunt necessaria. Etenim Legislator, cujus partes, in condendis legibus sunt, ut subditorum bono, felicitatique unicè consulat; eâ polleat *potestate*, opus est, ut *possit* subditos ad bonum dirigere, & avertere a malo: quæ sanè potestas duplex esse dignoscitur *directiva* altera, altera *coactiva*. Eâ rursus *sapientiâ*, ut *cognoscat* subditorum vires, ac facultates; sciat verum a fallaci subditorum bono discernere: & sciat media eligere, ad bonum, seu felicitatem subditorum conducentia. Tandem *bonitate* præditus eâ sit, ut subditos *velit* reipsa felices reddere, & omnia ad hunc finem dirigere, vel potestatem ipsam, ac sapientiam suam.

In ullo autem Legislatore tria supra enunciata plenius, ac perfectius inveniri, quam in Deo, possunt: sunt enim in eo omnia perfectissima. Lex ergo naturalis a Deo promanans effectus suos perfectissimo omnium modo pariat, necesse est.

Ut autem de præcipuis legis naturalis effectibus lo-

quamur; & quidem de iis, qui proximi, & necessarii sunt; utpote a divinis optimi maximi Legislatoris perfectionibus procedentes: tres potissimum effectus expendemus: Primus est: *Subditos obligare*. Secundus ex Tullio (1) *proponere virtutibus præmia; & supplicia vitiis*, qui est tertius effectus. Sanè quis ampliore polleat unquam *potestate, sapientia, ac bonitate*, quàm Deus? Rursus in Deo jus omne residet præcipiendi, vel prohibendi suis Creaturis; ex quo Jure oritur in Creaturis obligatio subjiciendi se Deo. Utraque etiam datur in Deo potestas legislativa, nimirum *directiva, & coactiva*; & utrâque hac potestate in lege naturali ferenda usus est, directus tamen Sapientiâ, ac Bonitate suâ infinitâ. Idcirco potestate usus *directivâ* ea præcepit, quæ naturæ rationali maximè sunt consentanea; eaque prohibuit, quæ ipsi sunt maximè dissentanea: Et potestatem *coactivam* adhibuit, ubi ad legem servandam præmiis allexit homines; in ea enim veram, absolutamque hominis felicitatem reposuit: atque a legis contemptu poenarum minis, cùm in hac vita, tum præcipuè in futura homines deterruit. Virtus autem *coactiva* efficacius in comminatione poenarum pro Improbis, quàm in præmiorum pollicitatione pro Bonis operatur; sic enim comparatum est a naturâ.

In ea autem obligatione ferenda sapientiam infinitam, ut dixi, ac bonitatem suam exhibuit Deus: nostris enim emolumentis, non minùs ac gloriæ suæ legem naturalem inservire voluit; eamque modis omnibus & facilem, & jucundam esse, jussit. Quo sanè inexcusabiles illos reddidit, qui pravis cupiditatibus potius, quàm legis naturalis præceptis parere recusarent. Ut autem de primo, ac potiore legis effectu disseramus: Quid revera *obligatio* sit, & quid ante se præsupponat, explicemus.

• *Obligatio* ex communi omnium sensu, est „ *quædam*  
 „ *restrictio libertatis naturalis orta ex Voluntate superioris*  
 „ *juber-*

(1) 2. de Orat.

„ *jubentis aliquid, vel vetantis* „ Et alio modo „ *Est vinculum aliquod morale, quo adstringimur ad aliquid agendum, vel non agendum* „ In lege naturali obligatio orta ex voluntate Dei Legislatoris aliam præsupponit obligationem ex necessaria honestate, vel turpitudine rei præceptæ, vel prohibitæ, modo suprâ explicato.

Ut autem res hæc intimiùs dignoscatur, illud est animadvertendum, homines a natura facultatibus animæ, & sensibus corporis præditos concipi veluti in plena libertate iis utendi, prout libuerit. Verùm enimverò conditi fuere rationis capaces ( neque enim aliter esse possent homines ): idcirco primum nacta est vinculum libertas in iis rebus, quæ conformia necessariò, aut difformia cognovit naturæ suæ rationali. Ex tali cognitione, quæ est *recta ratio*, primam excepit restrictionem ad aliquid agendum, ad aliquid vitandum. Alterum deinde ex voluntate Dei Legislatoris accessit vinculum, quo libertas circa eadem objecta restrictionem novam passa est. Atque hæc Lex est naturalis. Hoc autem dixi, non quia putem, pro aliquo etiam minimo tempore extitisse homines solo rationis rectæ vinculo obligatos, & deinde legi naturali obnoxios: sed quòd velim intrinsecam illam, & a lege independentem conformitatem cum natura rationali, aut difformitatem, ( quæ est honestas, aut inhonestas ) in rebus lege naturali præceptis, vel prohibitis confirmare.

Sequitur inde veluti generale quoddam axioma: „ *Quid, quid non exhibetur vel præceptum, vel prohibitum lege naturali, esse de Jure naturali libertatis humanæ* „ „ Aut alio modo: „ *Facultates naturales sive Animæ, sive Corporis intelligi debere usque eò concessus, ac permissus, libertati humanæ: dum appareat legitima prohibitio* „ Hæc autem prohibitio innotescere potest vel per intimum quemdam sensum, vel per rectam rationem, vel per extrinsecam auctoritatem, veluti admonentem de intrinseca rei in-

honestate-

honestate, loquendo de lege naturali. Ex quo patet, non bene secum constare Samuelem de Cocceiis, qui (1.) ultro præfatum axioma complectitur, & divinam auctoritatem in re juris naturalis omnino negligendam ducit.

Quidquid itaque nec *præceptum* est, neque *vetitum* lege naturali, id, ut dixi, est de *Jure naturali libertatis*. Quare sine injuria impediri nemo potest, quin hoc jure utatur: nisi ab alio Jure legitimo pro *statu civili* restringatur.

Idcirco obligatur homo, ne in alterius jus citra legitimam potestatem se immittat: repugnat enim, facultatem, quæ uni a natura data est, alteri competere. Hujusmodi autem Jus in duobus præcisè consistit, in *rebus* scilicet, & *actionibus*. Ex juris prædicti læsione oritur *injuria* propriè dicta; cujus sunt duo fontes, nempe, quando quis *ultra suum jus aliquid habet, vel aliquid agit*: atque ex dicta injuria oritur obligatio ad reparandum, seu ad restituendum parti læsæ jus suum. Quod fit vel restituendo *rem*, & eâ deficiente, *siquid ejus* remanet, & re penitus non existente, *pretium* saltem *medium*: vel, *siquid juris* ex facto meo alteri fuerit detractum, restituendo *tantumdem*, ad mensuram *juris amissi*, vel *imminuti*.

Dixi, *citra legitimam potestatem*; & supra: *nisi ab alio Jure legitimo restringatur*. Restringitur Jus particulare a *Republica*, vel ejus legitimo *Capite*, in bonum publicum aliquid legitimè sanciente; unde est *legitima potestas*: supponendo homines in statu civili supremæ alicui potestati jam subordinatos. Pari modo restringitur Jus ex *facto* proprio *licito*, nimirum ex *contractu*, vel quasi contractu: vel ex facto proprio *illicito* nimirum ex *delicto*, vel quasi delicto. Unde oritur *Jus in alio*, & quidem *legitimum*, pariens in nobis *obligationem*.

Inde consequitur explanatio difficultatis illius: an *permissio* sit actus legis positivus, an mera negatio legis? Sane

(1) In dissert. proem. 12. & alibi.



nè Grotius (1) ait: *Permissio autem propriè non est actio legis, sed actionis negatio; nisi quatenus alium ab eo, cui permittitur, obligat, ne impedimentum ponat.* Similiter Puffendorfius (2) inquit: *Eo ipso autem, dum legibus tribuitur vis obligandi, ex numero legum propriè dictarum permissiones exclusæ intelliguntur. Ut ut Modestinus l. 7. D. de LL. tradat: Legis virtus hæc est, imperare, vetare, permittere, punire. Nam permissio propriè non est actio legis, sed actionis negatio. Quæ Lex permittit, illa neque præcipit, neque vetat, adeoque circa eadem nihil agit. Quippe cum aliàs, quæ neque vetantur, neque præcipiuntur, in cuiusvis arbitrio posita intelligantur, & sic permissa, ac licita sint, etsi lex nullam eorum mentionem fecisset. Aliqui tamen hætenus in permissione obligationem statuunt; non quidem quæ ipsum, cui quid permissum dicitur, afficiat; sed quæ tertium quemvis stringat, ne impedimentum alteri ponat, si, quod lege permissum est, velit exercere.* Id ipsum Gundlingius asserit (3).

At Mascovius Puffendorfi commentator in dictum locum Puffendorfi ait, non videri admittendum assertum illud: *cum certissimum sit, præter leges præceptivas, quibus ad faciendum; & prohibitivas, quibus ad omittendum obligamur, dari leges permissivas, quibus jus nobis, seu facultas aliqua conceditur, pro arbitrio nostro re aliqua utendi, & in cuius exercitio nemini nos turbare, integrum est. Quum enim hac posteriore parte aliorum obligatio juri nostro respondeat, maxime interest, legem permissivam a præceptiva, & prohibitiva separari; eò quod obligatio, & jus sic distant, quod huic renunciari possit, cum illi usquequaque adstricti sumus. Sic unicuique jus est, ducendi uxorem, ita tamen, ut abstinere liceat matrimonio.* Puffendorfius item ipse

(1) L. 1. c. 1. §. 9.

(2) De J. N. & G. l. 1. c. 6. §. 15.

(3) Jur. nat. c. 1: §. 44.

ipse, adnotante Mascovio, paulò post agnoscere videtur veram legis actionem in permissione, ubi ait: *Quædam inter homines impunitatem habent . . . vel quia, ut hoc liceret, lex definiit.*

Gronovius in notis ad Grotii locum supradictum aperte asserit, *Permissionem non esse meram actionis negationem a parte legis.* Et multò fusiùs de hac re contra Grotium agit uterque Coccejus in notis, & additionibus ad locum Grotii: *Concessio superioris (ait Henricus) est vera actio, atque hinc etiam permissio inter actus legis refertur in l. 7. ff de Leg. l. 238. Permissio ergo non est negatio actionis, sed prohibitionis, & præcepti.* Et Samuel addit: *Permissio omnino est pars legis, ejusque actio: dum enim lege nature prohibetur, ne jus aliis naturali ratione quæsitum auferatur; dum, inquam, præcipitur, ut jus suum cuique tribuatur, necessariò sequitur jus habendi, vel agendi lege permissum esse eis, quibus id absque injuria auferri nequit.* Subdit autem paulò post: *At inde non propria species juris permissivi efficitur, sed permissio illa, idest facultas agendi lege approbata, est objectum legis: cujus effectus est, ut alii jus hoc ex permissione, & concessione divina cuique quæsitum, tribuere teneantur.* Et concludit. *Omnis igitur permissio legis infert obligationem intuitu alterius, ne turbet eum, cui aliquid lege permittitur.*

Equidem puto, Auctores istos verbo discrepantes re tamen ipsa aliqua ex parte invicem coherere: Utrique concedunt, legis effectum esse *obligationem*; & quidem in lege *præcipiente*, vel *prohibente*, respectu illius, quem lex respicit: in lege autem *permittente*, seu in ipsa *permissione*, respectu *aliorum*, ne turbent eum, cui aliquid neque prohibetur, neque præcipitur. Jamverò ex hac certissima apud omnes obligatione inferunt AA. contra Grotium, & Puffendorhium *veram actionem legis naturalis*, non meram negationem. Sic enim ratiocinantur: Ea, quæ jure naturæ per-

permittuntur, supponunt jus, seu facultatem habendi, vel agendi a Creatore concessam esse; idest, *licite ea fieri posse*. At verò Lex naturæ est: ut jus, quod cuique suum est, cuique tribuatur. Est ergo legis naturæ objectum verum omne id, quod lege naturæ permittitur. Huic rationi nihil video posse AA. contrarios contrà reponere.

Profectò ratiocinatio hæc in lege naturæ majorem vim obtinet, ac in alia qualibet lege humana. Etenim Barbeyracius a Burlamaquio citatus, & commendatus (1) putat, „ permissionem a silentio Legislatoris ortam non esse censendam *ut meram inactionem*: quia Legislator omnia *scienter*, & *cum consilio* decernens, ubi necessitatem seu obligationem agendi in aliquibus casibus limitat, judicat eo ipso in aliis libertatem relinquere subditis agendi pro libito: ita nimirum ut, quemadmodum actus præcepti, vel prohibiti sunt regulæ positivæ legis: ita actus etiam permixti sint positivè a lege ipsa decreti. Illi sunt veluti limites, ultra quos lege vetitum est progredi; isti sunt, quò lege permissum est pervenire „. Quare concludit: *permissionem esse effectum non minus positivum legis, ac obligationem*.

Jam verò, ut dicebam, totum hoc potiore ratione in lege naturæ, a sapientissimo omnium Legislatore lata locum habet, non quidem ita, ut, quod propriè & primariò spectat ad Legem naturalem, fuerit pro libitu suo a divino Legislatore vel præceptum, vel prohibitum: nihil enim omnino, quod est intrinsecè malum, permitti poterat, & non prohiberi; sed neque quod est intrinsecè bonum, & necessariò conducens ad bonum naturæ rationalis, poterat non præcipi, & tantùm permitti; sed a sapientissimo omnium Legislatore in condenda lege naturali fuisse prospectum juri naturali libertatis humanæ in iis, quæ ex rerum ipsarum natura non intrinsecè mala sunt; sed quam-

Tom. I.

I i

vis

(1) Part. 1. princ. Jur. Nat. c. 10. §. 6.

vis bona sint, non idcirco tamen necessaria ad bonum naturæ rationalis, ut diximus. Quare sive dicere velimus cum Coccejo, *Permissioem esse non speciem quamdam legis, sed esse objectum legis*: sive cum aliis, & Burlamaquio (1) dari *legem naturalem simpliciter permittentem* (quod quidem discutere non magni interest): concedere debemus in lege naturali objectum saltem *secundarium esse Permissioem*. Cujus certè principium admitti potest illud a Burlamaquio ipso indicatum, quod nostris principiis arridet maximopere. „ *Posse nos rationabiliter, & ad rem agere,*  
 „ *vel non agere omne, quodcunque non habet convenientiam,*  
 „ *aut disconvenientiam necessariam cum natura rationali,*  
 „ *& statu hominis: nisi si fortè id ipsum ab alia lege po-*  
 „ *sitiva superioris fuerit vel præceptum, vel prohibitum.* „

Atque exinde ortæ reipsa dici debent leges Civiles, & Jus omne Gentium strictè sumptum. Poterit autem iis tradi Principium cognoscitivum quàm proximum nostro in lege naturali statuto principio: „ *Quod est aliquo modo confor-*  
 „ *me, aut difforme naturæ rationali, quodque aliquo modo ad*  
 „ *felicitatem conducit, vel illam turbat, est in Jure Civili*  
 „ *præceptum, vel prohibitum.* „ Idem aptari potest *Juri*  
 „ *etiam Gentium.*

II. Ex hæcenus dictis inferri legitimè potest „ *Legem*  
 „ *naturalem obligare homines in conscientia.* „ Etenim lex naturalis de se parere debet obligationem omnium maximam, adeoque afficientem actus omnes tum internos, tum externos ex voluntate Dei Creatoris, & Legislatoris supremi. Homo enim de se nullam habet agendi facultatem, sed quam habet, a suo Creatore habet, qui jus suum cuique dedit, & unicuique, quod suum esse voluit, definivit: atque ita fines, ac terminos cujusque libertati constituit, positâ videlicet lege naturali; quæ ex essentia sua est Præceptum Auctoris naturæ, & Dei Legislatoris per rationem declaratum, quo homini necessitas moralis imponitur ali-

quid

(1) Part. 2. princ. Jur. Nat. c. 4. §. 23.

quid agendi, vel aliquid omittendi. Quare homo ultra fines a Creatore ipsi præfixos nihil agere potest, & ultra jus suum omnis agendi facultas vetita est: quia exinde non jus suum est, sed jus alterius ex Legislatoris decreto. Summa autem injuria est, extra jus suum agere: quæ quidem injuria in Legislatorem ipsum redundat. Siquidem homo invertit Legislatoris statutum, turbat motus naturales, omnibus hominibus inditos, tollit finem a Deo sibi propositum, & impedit media ad finem consequendum necessaria. Idcirco quemadmodum colligitur, non posse hoc excessu non offendi supremum Legislatorem, (qui non magis potest permittere sibi non pareri, quam nolle coli, in utroque enim casu homo a Legislatore deficeret, & Deo rebellis fieret): sic apertissimè deducitur, omnimodam, maximamque esse debere obligationem, qua Lex naturalis vincit hominem Deo.

Hujusmodi autem obligatio in conscientia non semper ita hominem adstringit, ut pro quolibet casu agentem contra legem naturalem reum constituat *gravis* culpæ respectu Legislatoris. Plura enim dari possunt, quæ a reatu *gravis* culpæ agentem contra legem excusent. Nonnulla exposuimus in 1. dissert. Aliquid etiam addere possumus, quod ad materiam ipsam legis naturalis spectat: quæ aliquando levis esse potest, atque adeo non gravem inducens obligationem. Hæc autem deduci potest *ex fine*, *ex objecto*, *ex convenientia*, quam habet res illa vel ad naturam rationalem, vel ad felicitatem seu bonum sive proprium, sive commune. Quæ enim reputantur *necessaria* ad hæc, vel *necessariò opposita*, sunt præcepta, vel vetita sub *gravi*, aliàs sub *levi*. Huc maximè facit quoddam veluti *proximè cognoscitivum principium* legis naturalis, quod in *intimo sensu*, & *conscientia* uniuscujusque reponi debet. Etenim, ut graviter obligemur, necessarium est, ut *intimus sensus*, & *conscientia* eam in objecto obligationem proponat, quæ non solum indicet, aliquid esse honestum, & bonum, sed etiam *ne-*

*cessarium ad honestatem*: ita nimirum ut oppositum judicetur necessario malum. Quare intimus noster sensus potest nos obligare ad *omittendum* aliquod, si proponat objectum *necessario* oppositum honestati; & potest obligare ad aliquid agendum, si proponat ejus omissionem *necessario* oppositam honestati. Quod quidem satis est ad gravem inducendam obligationem: quia omne malum cavendum est naturâ suâ, & vitandum. Rursus potest conscientia hominem obligare ad *aliquid faciendum*, si videlicet judicet, teneri ipsum pro ea circumstantia ad præstandum positivum actum aliquem: vel si judicet ipsum non teneri ad actum positivum; adhuc, si velit ponere actum teneri ad *modum*: puta, non teneri dare eleemosynam; tamen si velit dare, *debere* sub una intentione, & non sub alia illam præstare. Atque in hoc etiam casu necesse est, ut illam intentionem proponat tanquam *necessariam* ad honestatem, ad inducendum nempe gravem obligationem. Ratio deinde generalis est, quia *conscientia*, seu *judicium mentis* ita obligat, prout repræsentat legem, seu obligationem, quæ ex objecto per legem nascitur. Ergo necesse est, ut proponat objectum inducens obligationem ex lege.

Quid autem sit, rem esse *aliquo modo* consentaneam naturæ rationali, seu simpliciter honestam; & rem esse *necessario* consentaneam naturæ ipsi: (quod quidem ipsum aptari potest felicitati rationalis naturæ;) dignosci potest, & exemplo aliquo illustrari. Sic famelico delicatioribus cibus apti sunt, & probè conducunt ad explendam famem: non tamen sunt necessarii simpliciter, ut patet: Posset siquidem expleri fames quocunque alio villiori cibo; si opportunè sufficiatur. Si verò nullus alius exhibeatur cibus satiandæ fami, tunc cibi illi delicatioribus reputabuntur ut simpliciter necessarii. Conscientia itaque poterit rem exhibere ut necessario honestam, si ejus contrarium, vel ejus defectus pro ea circumstantia sit apertè malus, ut supra diximus.

At,

At, inquires: si lex naturalis de se obligaret in conscientia, peccans contra legem naturalem *graviter* mereretur poenam æternam. Hujusmodi autem poena, utpote quæ naturali ratione nequit dignosci; non potest ex lege naturali infligi. Esto, non dignoscatur poena æterna lumine naturali (quod quidem adversatur veterum sive Philosophorum, sive etiam Poëtarum ethnicorum sententiis): at certè negari non potest, æternas subire poenas, qui violato Numinis, ac supremi Legislatoris præcepto in lege naturali significato, gravi quodam reatu se obstrinxerit. Fidem facit indubiam Apostolus (1), *quicumque sine lege* (utique scriptâ) *peccaverunt, sine lege peribunt*. Ratio autem est, quia naturalem legem violârunt, de qua subdit: *Gentes, quæ legem non habent, naturaliter ea, quæ legis sunt, faciunt* &c. *Testimonium reddentè illis conscientiam ipsorum*. Profectò ad incurrendam poenam, non est necesse, ut subditi legem violantes poenam sciant: sufficit, ut sciat Legislator; & subditus si volens, ac lubens contra legem agit, poenam a Legislatore constitutam subibit, quia legem violavit, ac Legislatoris jussum contempsit.

Dictum est paulò ante, ex *Conscientiâ representante objectum apertè malum obligari hominem ad hoc vitandum*: quid autem de *Conscientiâ* existimante objectum sub aliqua formidine vel bonum, vel malum?

III. Equidem hac super re nonnulla statuam, quæ principii loco esse possint, ex iisque facile sit alia deducere, quæ usui esse possunt.

Profectò *Judicium mentis de rei honestate, vel inhonestate* est id, quod *Conscientiæ* nomine dicitur. Jamvero pro varietate hujusmodi judicii varias sortitur denominationes conscientia; de quibus agunt etiam Juris naturalis Scriptores, & ipsi pariter Protestantes, materiam hanc iniquè pervertentes, ut Catholicorum theologiam calumniis opprimant.

Judi-

(1) Ad Rom. 2.

Judicium itaque mentis de rei honestate, quod *firmis rationis persuasionibus* constet, quin ex adverso aliæ objiciantur, unde prudens oriri possit formido, dicitur *Conscientia certa*. Hic autem offendit statim Puffendorsius (1) vocando hanc Conscientiam *rectam*: malè tamen, cum aliquoties ratiocinando falli possumus, & de *re falsa* judicare sub specie certitudinis tanquam omnino vera: neque in eo casu erit conscientia recta; quod etiam observavit Mascovius in hunc Puffendorfi locum.

Deinde ad efformandam conscientiam *certainam* frustra expectabimus multoties *argumenta evidèntia*. In re siquidem *moralis* prima universalis principia dici possunt evidèntia, nimirum: *Bonum est faciendum, Malum est fugiendum: quod tibi non vis, alteri ne facias: Deus est colendus*. Quæ sanè principia eò dixerim *innata*, & evidèntia, quòd mens, intellectus terminis, statim naturæ suæ rationalis vi assentiatur; in reliquis verò *certitudo* conscientiæ habebitur, quoties pro altera parte argumenta gravia erunt, & pro altera si qua erunt futilia nimis, & exigui momenti. Præterea optimum factu esset, si liceret nobis moraliter agentibus in judiciis de re particulari efformandis, discernere semper, quodnam *sit judicium rectum*? Habermus semper agendi normam cuiuslibet errori minimè obnoxiam: quæ sanè in Juris naturalis principiis apertissimis certò datur, in officiis verò particularibus non ita: sed judicium rectum esse putamus, (loquendo de re moralis) quoties prudenter existimamus, esse conforme *rectæ rationi*, vel alicui *regulæ morum*. At verò in iis judiciis quotus quisque experienciâ teste non fallitur?

*Erronea* proinde erit *conscientia*, si erraverit in iudicio circa rei honestatem. *Recta*, si judicium rectum erit modo dicto. Quare ut sit *recta*, (quoad mores) non requiritur necessariò, ut non sit *invincibiliter erronea*; sed requi-

(1) De J. N. & G. l. i. c. 3. §. v.



quiritur, ut non sit *vincibiliter* erronea : seu clariùs potest conscientia esse *recta* & simul *invincibiliter erronea* : non verò esse *recta* & *vincibiliter erronea* : loquor autem, quod ad operandum moraliter spectat : ubi nimirum iudicium de objecti honestate dat normam operanti . *Rationabilis*, seu *Probabilis* conscientia erit, si firmâ innitatur ratione, quamvis & ex opposito ratio, vel æquè, vel magis, vel minùs firma se se ostendet . Si verò hinc inde incerta videantur omnia, ut in neutra parte consistere possit pro iudicio ferendo, erit conscientia *dubia*. Quòd si ex una parte erit firma ratio ad agendum, & leviora insurgent motiva ad dubitandum de rei honestate ; conscientia in hoc statu non erit propriè dubia, sed *scrupulosa*. Jamverò sint nonnullæ veluti regulæ pro variis conscientiæ circumstantiis.

Sit I. regula : ,, In agendo, ut honestè agatur, necessaria est semper certitudo iudicii proximi, repræsentantis tantis honestatem actionis ; sine quo nunquam homo honestè operabitur . ,, Ratio est : quia homini in suis operationibus cavendum est semper, quantum fieri potest, periculum peccandi . Quare, ut malè quis operetur, sufficit, ut quis voluntariè operetur sine certo iudicio honestatis : hoc enim ipso exponeret se peccandi periculo .

Idcirco sit II. regula : ,, Quoties habet homo iudicium proximum certum de honestate rei ex una parte, ita ut contrarium repræsentetur certò inhonestum modo suprâ exposito, tenetur sequi iudicium certum ; quamvis de facto *ex errore* procedat iudicium illud, qui tamen error sit *invincibilis*, & *antecedens* (1). ,, Ratio est : quia ultima regula, & proxima operandi est iudicium de honestate rei. Quare si hoc ita honestum objectum exhibet, ut nullam *prudentem* formidinem relinquat in animo, immò contrarium objectum inhonestum repræsentet : erit regula non modò licita, sed *necessaria* ad honestè agendum . Et idcirco ad honestè

(1) Vid. dissert. I.

stè operandum obligat , quamvis in errore versetur : operans enim diversimodè eligeret id, quod sibi inhonestum, & legi oppositum videretur, adeoque legem, & Legislatorem contemneret.

Dixi, *prudentem formidinem* : ut indicarem , nihili esse faciendos *scrupulos* illos , seu difficultates illas levissimas , quæ imprudentis animi effecta sunt , & verum dubitandi motivum non præbent : qui sanè contemnendi sunt , advertendo animum ad firmam illam rationem , quæ judicio illi certo efformando fundamentum præbuit .

Sed quoniam in rebus agendis sæpissimè argumenta hinc inde se se offerunt pro rei *honestate* , vel secus , unde in re utrinque *probabili* versatur homo : quid pro eo statu erit definiendum ? Profectò , si aliqua hic subdam hoc super argumento , nemo mihi succenseat , agenti videlicet de Jure naturæ : siquidem & in Jure naturæ firmam necessariam est *honestè operandi vera regula* : & cæteri etiam protestantes Scriptores de J. N. ( de quibus infra ) messem hanc intactam , ut dicitur , non relinquunt .

Illud primò , & extra omnem controversiam firmandum est , quod in prima regula fuit statutum , videlicet : *sine judicio ultimo certo de rei honestate non esse licitum operari* . Ex qua regula illud consequitur : *Cum dubio de rei honestate non esse licitum operari* . Et ex hoc certissimo moralitatis principio illud pariter consequitur : *Operantem quemlibet , ut licitè , & honestè operetur , debere dubium deponere , & judicium certum de actionis honestate efformare* .

Quare in re *probabili* existens homo , ( cum *probabilitas* quævis sive *major* , sive *minor* , sive *æqualis* non excludat rationabilem , & prudentem formidinem de rei inhonestate ) nisi prius omnem ambiguitatem prudentem , & rationabilem deponat , non potest honestè operari . Poterit autem , si quoquo modo ; abjectâ illâ animi fluctuatione , efformare ipsi fas erit judicium ultimum certum de *honestate* suæ actionis . At quam ratione id fiet ?

Ex

En triplex pro hac re modus, quem in ancipiti negotio constitutus homo, habere omnino potest, ut *honestè* operetur. Triplex hic modus est triplex sententia, cui adhæreat, ut iudicium certum efformet pro *honestate* suæ actionis. Prima est sententia *tutior*, altera est *probabilior*, tertia est merè *probabilis*. *Tutior* sententia est illa, quæ proxima est legi, seu quæ magis recedit a periculo violandæ legis sive materialiter, sive formaliter, aut a periculo alterius mali incurrendi. Ut siquis dubitaret: *An sibi liceret pingere die festo?* *Tutior* pars esset negativa: recederet enim magis a periculo violandæ legis de servando die festo. *Probabilior* sententia dicitur illa, pro qua stent *validiora argumenta*, & *rationes*: atque hæc est *probabilior intrinsecè* sententia: sive pro qua stent *plures Auctores*; critique, *probabilior extrinsecè*. Dicitur autem *probabilior* respectu alterius, quæ sit verè *probabilis*, sed minùs illâ. Tandem *Probabilis* sententiâ illa est, pro qua sint *firma argumenta*, & *rationes*; ut sit *probabilis intrinsecè*: & Auctores illam approbantes reddant *probabilem extrinsecè*. Ut autem sit *verè probabilis*, dari debent *rationes* illam suadentes, & præterea nullum Superioris decretum, aut lex illi opponatur. His itaque explicatis, quid homini sit sequendum, ut *honestè* operetur?

Dicam illico: „ Illud homini cuivis est sequendum, „ sub quo efformare poterit iudicium *certum de honestate* „ suæ actionis. „

At hic utique dissidii locus: hæc maximarum discordiarum origo: hinc tot ultro citroque conscripti libri, & violatæ mutui amoris leges. Horret animus, catholicorum partibus in hac tractatione Juris naturæ addictus, & Protestantium erroribus impugnandis maximè intentus in salebrofas hæc sentes ingredi, quas præjudicata nonnullorum catholicorum opinio objicit ex utraque pugnantium parte. Sed meâ quidem sententiâ irrationabiliter utrinque pugnatum est:

Tom. I.

K k

istius-

istiusmodi enim sive Scriptores, sive Auctores id conantur evincere inani, ac sanè audaci temeritate, idque in animum inducunt, ut sub ea opinione jubeant, omnes omnino teneri judicium certum prædictum efformare, sub qua nimirum ipsis videtur posse sibi efformare: quasi verò omnibus aliis una sua ipsorum mens esse debeat regula judicandi. Profectò unum si demas Judicem controversiarum, Pontificem, inquam, Romanum, quem Ecclesiæ suæ Caput, & Præsidentem sapientissimo consilio Christus Dominus esse voluit, cujus decreta nos Catholici reveremur, Heterodoxi verò malo suo aspernantur, variisque jactati opinionibus sine Duce, quasi naves sine gubernaculo, aut *nubes sine aqua, qua a ventis circumferuntur* (1) uno, inquam, eo excepto, nemo id muneris tribuere sibi debet, alios obligandi, ut non nisi conforme suo efforment judicium *certum* in agendo, ut *honestè* agant.

Afferunt nonnulli, debere se *tutiora* sequi: nempe sub iis tantum efformare posse judicium *certum* existimant de *honestate* actionis. Ita sanè agant, quemadmodum putant: sequantur *tutiora*. Caveant verò, generalem pro omnibus condere regulam sequendi *tutiora*, ut efformari possit judicium certum ita, ut quæcunque probabilitas non sufficiat, sed requiratur semper *tutior* pars. Hujusmodi enim error sub specie rigidioris virtutis a Pontifice Romano Alexandro VIII. fuit proscriptus: *Non licet sequi opinionem, vel inter probabiles probabilissimam*. Alii non nisi *probabiliora* esse sequenda, opinantur: scilicet hoc pacto efformabunt sibi de actionis *honestate* judicium *certum*. Et hi quoque sequantur, oportet, *probabiliora*; ad hæc enim eos teneri, judico. Alii tandem sub opinione *verè probabili*, cui a nulla lege, nec a Judice controversiarum fuerit contradictum, reputant optimè efformari a se posse judicium *certum* de *honestate* actione. Cur autem iis non liceat opinionem verè probabilem

(1) Juda epist. c. 12.

lem sequi? Ex eo ne, quod illi, & illi non putant huic sententiæ posse adhæreri? Malè quidem. Idem esset, ac dicere: „ Equidem non manduco, quòd mihi non esse manducandum videtur: ergo & alius neque manducet, quid, „ quid ipsi in contrarium videatur. „ *Qui non manducat, manducantem non judicet*, præcipiebat Apostolus (1), ex diverso scilicet utriusque iudicio, & conscientia. Optimum ad rem hanc nobis exemplum esse potest, quod Ecclesia nostra veritatis magistra in celebri cum Græcis controversia usurpat. Novit utique Ecclesia, Christum Dominum in azy-mo consecrâsse: at, quoniam nullo adigimur præcepto de panis qualitate, dummodo in vero pane consecratio fiat: idcirco Græcis morem suum de fermentato non damnavit, sed liberè permisit.

At nequit *omnino sub minori probabilitate* iudicium *certum* efformari de actione *honestâ*: cum detur ex opposito sententia *probabilior* repugnans. Esto, sit ita. Verùm in primis (liceat sic hominem affari), „ neque per te poterit „ sub *probabiliore* opinione certitudo iudicii stare, cum de- „ tur ex adverso sententia *tutior*, „. Quæcunque enim *probabilitas* etiam maxima, cum probabilitatis limites non excedat, prudentem aliquam formidinem non excludit. Si ergo (quod fateri debemus) non requiritur sententia *tutior*, ut efformari possit iudicium *certum*, seu quo *certi* esse possimus de *honestate* actionis: sequitur, vel sub *probabili*, vel sub *probabiliore* sententia illud *certum* iudicium posse efformari.

Vellent tamen *Probabiliorista*, quemcunque ad sequenda *probabiliora* adigere. Optimum, si succedat. Ipsi tamen in eo sint, oportet, ut repotent, nonnisi sub *probabiliore* sententia posse iudicium *certum* de actionis honestate efformari; atque in merè *probabili* opinione hærere semper animum, nec peccandi periculum effugere. At hac in re non-

(1) Ad Rom. 14. 3.

ne pluribus ita opinantibus illud dici posset, quod Philippus Eunucho: *Putasne intelligis, quæ legis* (1)? Equidem mirari non satis possum aliquos *Juris publici naturalis* Scriptores catholicos probabiliorismo vix ipsis noto (sunt enim rerum theologicarum satis imperiti) adhærentes religiosissimè: & non neminem eorum adverti, ad conciliandam huic sententiæ fidem, ac pondus proferentem Puffendorffii, & Buddej Lutheranorum auctoritatem, & damnatos etiam ab Ecclesia româna libros. *Prob! quantum est in rebus inane!* Huic sanè illud tacitè quis innueret, quod olim Elias Ochoziæ Regis nuntiis: *Numquid non est Deus in Israet, ut eatis ad consulendum Beelzebub Deum Accaron.* Ego sanè, ut suprâ dixi, partium studio minimè trahor, sed cuique integrum esse censeo, sive *probabiliori*, sive *verè probabili* opinioni adhærere, modò queat *certum* de suæ actionis *honestate* judicium efformare.

Optarem tamen, ut qui *probabiliora* dumtaxat, & sibi, & aliis sequenda asserunt, ne peccent: Optarem, inquam, ut secum ipsi expenderent, pacato tamen animo, & a præjudiciis vacuo, quid sibi, aliisque oneris imponant? Utque *rectè* judicent, velim priùs animadvertant, de quonam *probabiliorismo* velint intelligi? Utrum de ea sententia, quæ probabilior sit *universæ Ecclesiæ*: an quæ sit probabilior *operanti*? Si de 1. genere *probabiliorismi*: quonam pacto id quisque hominum consequi poterit, ut sciat, inter innumeras morales opiniones satis controversas, quænam sententia sit *universæ Ecclesiæ probabilior*? Ecquis deñniat, quænam *plures* habeat sectatores, quæ *verò pauciores*? Inter Auctores rursus, qui sint *ingeniosiores*? qui *doctiores*? qui *major* studium adhibuerint? qui ad eam sententiam firmandam attulerint animum a præjudiciis, atque affectibus magis *vacuum*? Ut inde possit inferre prudenti judicio, *potiores* esse horum Auctorum *rationes*, & idcirco *probabiliorem* esse u-

mi-

(1) AG. 8. 30.

niversæ Ecclesiæ sententiam illam , in quam *plures* , *melioresque* Auctores *potioribus* rationibus fulti conspiraverint ? Hujusmodi judicium *moraliter* impossibile judicabit , qui rationis usu fretus rem expenderit : impossibile , inquam , homini pacato animo , ac temporis usuram , quam maluerit , habenti , ut libros evolvat , attentè percurrat , sedulò expendat : quid autem de eo dici debeat , qui ad operandum nequeat moras ulla necere , & ex continentì se determinare ?

At neque minùs negotii faceffit definire , quænam sit ex singulis controversis opinionibus *probabilior operanti* , ni velit *probabilior* cum *tutior* confundere , quod indocti plures peccant . Etenim judicium hoc comparativum inter plures , validasque hinc inde rationes , ut pro unis decernatur , non verò pro aliis , quanti laboris esse debet ? Est ne opus cujuscunque hominis , an paucissimorum , qui in sacre Theologiæ , & Canonum studio sint versati ? Istis igitur paucissimis exceptis , ceteri non , quæ *sibi probabiliora* , ( expensis videlicet hinc inde rationibus ) sed , quæ sint *aliis probabiliora* , sequi debeant , necesse est . Non ergo verum illud est : teneri quemque sequi , *quod sibi probabilius sit* : Quid ? Quòd & doctissimi ipsi Theologi , & Canonistæ sæpè sæpiùs , diuturno adhibito studio , definire minimè possint , quæ sibi sit verior , aut *probabilior* sententia , sed adhuc ambigui fluctuent ?

Accedit , ex hac majori probabilitate , quæ *respectiva Operanti* dicitur , quamque Auctores isti jubent esse debere , ad *honestè* operandum , regulam morum , quàm multa admodum periculosa sequuntur , & contra civilem Rempubli-  
cã ? De Milite ad pugnandum ex Regis sui mandato prodeunte , cui non sint adversi , Regis notæ rationes , quid dici potest ? Illud utique unum scire poterit Miles , *non esse sibi certam , ac manifestam contra Dei præceptum Regis sui jussionem , nec sibi certò constare de Regis jubentis injus-*  
*siti-*

*flitia* : ( quod sanè erit ad *probabilem* sententiam sufficiens ) : at ad *probabiliorem* opus esset , nòsse Regis sui , & Adversarii rationes , has expendere , & pro judicii sui *majori probabilitate* resolvere . Ad hoc certè adigent militem , ut honestè operetur , qui putant , „ in re dubia non licere , nisi „ *probabiliora sibi* sequi „ . At Augustinus (1) non nisi pro mera probabilitate rem hanc resolvit : *Vir justus , si fortè sub Rege homine etiam sacrilego militet , rectè potest , illo jubente bellare , civica pacis ordinem servans* . Et statim subdit , eo nimirum pacto id *rectè* posse illum cui , *quod jubetur , vel non esse contra Dei præceptum , certum est , vel , utrum sit , certum non est ; ita ut fortasse reum faciat Regem bellandi iniquitas , innocentem autem militem ordo serviendi* . Quod sanè in illud resolvitur militis judicium : „ Militare adversus hunc hostem vel certò non est contra Dei „ præceptum , vel non est certum esse contra Dei præceptum , ut suprà dixi „ .

De quolibet Principis alterius mandato in materia civili , quod sanè civibus omnibus innotescit , quoque Principes subjectorum Populorum ingenia moderantur , dici posset omnino idem , quod de Regis imperio ad bellandum respectu militis , Nonne ex hac *respectiva probabilitate* , quæ sit regula ad *honestè* operandum , rueret obedientia , quam præstare sudditis opus est suis Præpositis ? Hæc enim postulat , ut debeant subditi jussa Imperantium exequi , de quorum honestate habeant tantummodo *probabilem opinionem* , ut scilicet contra ea non sit certa , ac evidens ratio : nihil verò curent , an contrarium sit *probabilius* .

His itaque diligenter , ac sedulò inspectis : quærendum modò est : quonam pacto efformari possit judicium *certum* de honestate actionis sub opinione vel *merè probabili* ; vel etiam *probabilior* ? Sub utraque enim stat semper *incertitudo* judicii . Ponamus supraddictum militem procedentem ad bel-

(1) L. 23. contra Faustum c. 74. & 75.



bellandum habere tantum hoc iudicium: *Probabilis mihi est Justitia belli, quod Rex meus indixit: at probabilis, vel probabilior est Injustitia hujus belli, ut Rex adversarius opinatur.* Sub hoc iudicio incerto, ambiguo, & dubio procedens Miles ad bellum, graviter peccabit, ut certum est. Fac pariter habeat hoc aliud iudicium: *Probabilior mihi est belli Justitia, quamvis etiam Injustitia probabilis sit.* Sub hoc item iudicio non excludit prudentem formidinem, ne sub ea *probabilioritate* lateat injustitia: est enim celebre axioma illud. *Multa falsa probabiliora veris.* Donec ergo miles in hoc statu ambiguitatis, ac formidinis maneat; si velit honestè operari, cohibeat se a bello, necesse est; illudque non ex consilio tantum, sed ex præcepto servet: *Indubiis tutior pars est eligenda:* Tutius est autem ad bellum ita opinantem non progredi, sed domi manere, quam peccandi periculo se exponere.

Oportet itaque, militem ex aliqua alia prudenti ratiocinatione omnem ambiguitatem *rationabilem, & prudentem* abjicere, & iudicium *certum* alià viâ efformare, ut possit honestè ad bellandum procedere. Nimirum: cognitâ ex iudicio directo probabilitate justitiæ belli (ex eo, quod certò non constat de injustitia, ut ait Augustinus): statim progrediatur, & secum sic statuatur: „ *At quoniam mihi moraliter impossibile est; ut & in aliis rebus controversis est* „ *moraliter impossibile, hominibus singulis discernere inter opiniones probabiles, & probabiliores: idcirco sub hac opinione verè rationabili, ac probabili de Justitia belli, certissimum mihi est, sine formidine posse ad bellum procedere* „. Quod totum, paucis complectitur quivis e populo: *Prudens est, & bona ratio ad hoc agendum: vel: sic agendo, rationabiliter operor: possum ergo honestè sic agere.* Si cui verò difficile sit, hujusmodi *certum* iudicium reflexum elicere cum omnimoda adhæsiōe, sed fluctuet: quærat sententiæ *probabiliori, seu potius tutiori* adhærere;

at

at quæstiones generales pro aliis hominibus inani , atque irrationabili conatu non inducat .

Quid autem , ( post hæc catholicos inter Auctores explicata , & pacificè composita ) dici a me debet adversus Puffendorfium de *Probabili* opinione differentem ? Hominis inscitiam planè dignoscet , quicumque in hac materia versatus oculos ad ejus dicta (1) advertet . Verùm lutherani hujus , & Buddæi , aliorumque imprudentiam , & contra catholicos procacitatem mirandam simul , & miserandam , minus insectarer , nisi simul eorum in ratiocinando de *Probabilissimo* , & de *Religione* incohærentia manifestò se ostenderet . Sit , & valeat Puffendorfii regula , quam (2) ibi profert : „ *In rebus magni momenti , si utrinque se ostendunt , dant argumenta probabilia , præferenda est pars tutior* „ . At juxta hoc puffendorfianum dogma , quid causæ est , cur catholicam Religionem homo heterodoxus non amplexus fuerit ? Res enim , ut patet , hic agitur *maximi* , nedum *magni momenti* . Rursus a nemine sanæ mentis heterodoxo sive lutherano , sive calvinista , sive indifferentista , negari unquam potest , *probabiles* esse rationes pro catholica Religione . *Tutior* tamen est catholica Religio : Etenim , asserente tum heterodoxo , tum catholico , hominem in Religione catholica salvari posse , & vitam æternam consequi : contra verò , asserente heterodoxo , sed negante catholico , hominem extra Religionem catholicam salvari posse , & vitam æternam consequi : ut *tutius* eligatur in re tanti momenti , ( unde pendet æterna salus ) debet homo juxta puffendorfianum dogma Religionem catholicam amplecti : quia in hac salutem acquiri , uterque asserit : extra hanc acquiri , alteruter tantùm asserit .

Juvat hic proferre celeberrimæ universitatis Helmsta-

re-

(1) L. I. c. 3. a §. 5. seq.

(2) §. VI. in fin.

responsionem ad thesin ibi ad discutiendum propositam : *An in catholica Religione possit quisvis salvus fieri ? Num status Ecclesiæ catholicæ talis sit , ut cum ipso veram colere , vel habere religionem , & ad æternam pervenire salutem quisque possit ?* Responsum fuit : „ *Hiscæ indubitanter per affirmationem respondemus ob tres rationes : quarum una : Inter Catholicos veram esse Ecclesiam , hoc est talem existere Congregationem , quæ Dei verbum audit , & Sacramentis a Deo institutis utitur , negari nequit .* Ita vovent omnes. Facultatis theologicæ Helmitadiensis Professores hac die 28. Aprilis An. 1707. (1).

Utinam Puffendorfius argumenti hujus vim expendisset : atque utinam , qui in Religionis negotio adhærent Puffendorfi , benè considerent , nullatenus in Lutheranorum statu *veram* dari *Probabilitatem* posse , sed *fucatæ tantummodo* probabilitatis speciem : & catholicam Religionem non modò tutiorem , sed *unicè certam* esse . Aptent idcirco sibi , quæ contra verum probabilissimum congerit Puffendorfius , ac Buddeus , ac tandem aliquando sapiant .

## FINIS TOMI PRIMI.

L I

COR-

(1) Ap. Masci Ist. teol. prefaz. pag. xxxv.

## CORRIGENDA.

Pag. 2. Facti

43. quod

49. scilicet

208. omnibus

234. *Amori Deo debita*

Facto

quod

scilicet

omnibus

Similiter *amori Deo debita*

I N-

## INDEX NOTABILIUM.

## A

- A**ctus *hominis*, & actus *humani* in quo differant? 22.  
 Actus *primo primi* in Ira, non in aliis affectibus cur? 24.  
 An idem sit actus bonus, & justus: malus, & injustus? 74.  
 Quomodo dignosci potest, an actus sit jure naturæ prohibitus,  
 an etiam sit irritus? 148. *seq.*  
 Actus *morales* qui sint? 22.  
 De Argens Marchionis liber *Philosophia boni sensûs*. 87.  
 De Argens quid referat ad negandam intrinsecam actuum  
 honestatem? 87.  
 Augustinus quid sentiat de naturæ inclinatione? 120.  
 Augustinus quid sentiat de *mali* natura? 91.  
 Augustino duce contemnenda corporis salus præ virtute. 127.

## B

- B**arbeyracius malè explicat naturam legis. 53.  
 barbeyracii in Ss. Patres convicia. 5. 6.  
 Beckmanni liber contra Puffendorium. 8.  
 Boni objectivi quot genera. 89.  
 Bonum quodcumque creatum an Voluntati repræsentari pos-  
 sit sub idea boni *absolutè* necessarii? 38.  
 Buddei sententia prædicta exploditur. 19.  
 Buddeus exemplum polygamix Patriarcharum trahit ad in-  
 ducendum Tolerantissimum. 175.  
 Buddei Jo. Fr. Sententia circa doctrinam Juris naturalis se-  
 junctam a Fide. 175.  
 Burlamaquii de Principio Honestatis sententiæ. 128.  
 Burlamaquius non rectè explicat legis naturam. 54.

Burlamaquii sententia de Principio cognoscitivo Juris naturalis, ac de Felicitate. 240. *seq.*

## C

**C**occeii Samuelis, & Henrici judicium de Grotii opere. 7.  
 Cocceii sententia de lege naturali. 69.  
 Coccejus errat circa honestatem actuum, & impugnatur. 86.  
 Congruentia cum natura rationali quid sit? 10. 93.  
 Cumberlandi Richardi opinio de lege naturali. 72.

## D

An respectu Dei considerari possint aliqua honesta, & inhonesta? 75.  
 In Deo considerari debet ratio supremi *Legislatoris*, ratio supremi *Domini*, ratio supremi *Judicis*. 167.

## E'

## E

**E***nunciata* lex naturalis proprie non admittit. 181.  
 Epicureismus in Wolfii de honestate, ac lege naturæ principis. 117. *seq.*  
 Quomodo convincendi Ethnici a Christiano morum Philosopho? 19.  
 Ethnicorum Philosophorum errores unde orti? 11. 12.

## F

**F**elice lectiones Juris naturæ non approbantur. 20.  
 De Felice malè explicat naturam legis. 54.  
 Quid sit Felicitas propria naturæ rationalis? 212.  
 Quid sit, *esse necessarium ad felicitatem*, & *opponi necessarium felicitati*?  
 Felicitatis vera ratio in veterum ethnicorum opinione ubi consistat? 203. *fin.*  
 Feli-

Felicitatis humanæ vera ratio an in rationali natura sit reponenda ?	210. <i>seq.</i>
Fides quid præstet in Jure naturæ tradendo ?	18.
Fleischeri Laurentii enormes propositiones de lege naturæ.	73.
Erassenii opinio de vera dispensatione legis naturalis.	168.

G

<b>G</b> Enuensis Antonius malè Wolfium intelligit, ac defendit.	126.
Grotius malè impugnatur ab utroque Coccejo: aliisque circa legis naturam.	52.
Grotii Willelmi de lege naturali sententia.	72.
Grotii opinio de Lege.	51.
Grotius ab aliquibus maximè commendatus ex opere de J. B. & P. 4. 5.	
Ab aliis summoperè vituperatus ex eodem opere.	7.
Grotii sententia de intrinseca actuum honestate.	76.
Gundligius ex Wolfiana Philosophia exhibet funesta conscientaria.	9.

H

<b>H</b> æreticorum errores subdolè proponuntur, & difficilè advertuntur.	10.
Hæretici permiscet malis bona ex Gregorio.	3.
Hæretici laudant maximè suorum libros adversus Catholicos: eosdemque libros, quòd secum non consentiant, deprimunt.	4.
Heinnecii sententia de Lege.	51.
Heinnecii de intrinseca actuum honestate sententia.	77.
Heinnecius in explicanda libertate fallitur.	31. <i>fin.</i>
Heinnecii opinio de lege naturali.	69.

Helvetii liber <i>de spiritu</i> ad Deismum, epicureismum, & materialismum ducit.	105.
Hobbesii de honestate objectiva dogmata.	101.
Hobbesii, & Spinosæ circa honestatem principia impugnantur.	106. <i>seq.</i>
Hobbesii opinio de lege naturali.	68.
Hobbes, Spinoza, Collins, aliique libertatis evertores a Puffendorffio optimè impugnantur.	36.
An præter legem naturalem detur honestas intrinseca in actibus.	74.
Honestas in objecto an resultet ex proprietatibus physicis semper, an aliquando ex moralibus.	96.
SS. PP. testimonia circa honestatem objectivam deductam ex lege Dei.	99.
Honestas objectiva quid revera sit? Et in quonam consistat?	90. 91.
Huberus quid de Hobbes, & Spinoza?	105.

## I

<b>I</b> gnorantia quotuplex? & quam excusat?	25.
Immortalitas animæ, si præscindatur in Jure naturæ, innumera sequantur absurda, necesse est.	15.
Imputabilitas actus in quo fundetur?	22.
Judicium ultimum practicum an idem sit, ac ratio sufficiens Leibnitziana?	39.
<i>Juris</i> plures species, potiores sunt <i>naturæ</i> , <i>divinum positivum</i> , & <i>humanum</i> : Heterodoxi cum Burlamaquio negant.	
Jus divinum positivum, & universale.	21.
Juris naturæ variæ significationes.	21.
Jus naturæ non tradendum, ut volunt Heterodoxi, omnino independentem a Fide, ac Religione.	11.
Jus naturæ idem plerunque ac Lex naturæ.	22.

Juve-



Juvenalis recta sententia de præferenda virtute malis Corporis .	128.
Recta item sententia de intrinseca honestate .	76.

K

<b>K</b> Emmerichius Puffendorfio addictissimus a Principio socialitatis recedit .	187.
--	------

L

<b>L</b> Leibnitzius in Jure naturæ disciplina quid optaverit ?	19.
Legis naturalis effectus qui sint ?	243.
Leibnitzii opinio de libertate .	36.
Leibnitzius quid de sua Theodicea scripserit ad Pfaffium ?	45.
Leibnitzii epistola censoria contra Puffendorfii absurdas opiniones .	79.
Leibnitzii argumenta ex absurdis pro animæ immortalitate contra Puffendorfium .	15.
Lex, quæ recta non jubeat, an dici possit Lex ?	48.
Lex naturæ an sit ?	63.
Lex æterna Dei in quo differat a Providentia ?	57. 59.
Leges omnes a Lege æterna participant, necesse est .	60.
Lex naturæ an differat a recto rationis dictamine ?	63.
An spectet ad subditos de Legis æquitate judicare ?	56.
Legis æternæ proprietates quænam ?	56. seq.
Legis naturalis perpetuam immutabilitatem agnovit Tullius .	160.
Legis proprietates quænam ?	48. 56.
Quanam ratione quæcunque lex mutari possit ?	153.
Lex naturæ an reddat superfluum legem positivam ?	64.
Lex naturalis una est, uniformis, universalis, præ ceteris excellens, immutabilis, & perpetua .	151.
Lex naturalis præcipit ea, quæ intrinsecam honestatem habent	

- bent, & ea prohibet, quæ habent intrinsecam furpitudinem. 66. seq.
- Lex naturalis an se extendat etiam ad leges humanas positivas? 232.
- Lex naturæ quid sit? 66.
- Lex naturalis an se extendat ad actus tum externos, tum internos? 143. seq.
- Quid in lege naturali potestas humana, quid divina immutare, aut dispensare valeat? 161. 167.
- Quid mutationis in lege naturali potest contingere. 163. seq.
- Lex naturalis obligat in conscientia. 250.
- Libertatis veram notionem exhibent Scripturæ, Patres, & Philosophi ethnici lumine naturali. 28. seq.
- Liberi arbitrii vera notio 27.
- Libræ exemplum a Leibnitzio usurpatum malè aptatur Voluntati liberæ: 37. 39.
- Lutherus polygamiam permisit Lantgravio, modò nihil innotesceret apud Catholicos. 275.
- Lyncherus egregiè confutat Principium cognoscitivum Juris naturalis repositum in socialitate. 187.
- Lyncherus quid de Hobbes, & Spinoza? 105.
- Lyncheri contra Puffendorium argumentum. 85.

## M

- M**Ascovius Gottfridus Puffendorium rectè carpit. 14.
- Montesquieu error de natura legis. 61.
- Montesquieu in lib. *De spiritu legum* quid asserat de Creatione mundi. 41.

## N

- N**ecessitas, & coactio in quonam differant. 27.

Ob-

O

**O**bjectum delectabile an determinet Voluntatem. 33.  
 Optimismus mundi a Leibnitzio, & Wolfio propugna-  
 tur. 40. *seq.*

P

**P**eccatum philosophicum repugnans in presenti Providen-  
 tia, & quare? 71.  
 Perfectio animæ, & Corporis ex Wolfio in quonam sita  
 sit? 114. *seq.*  
 Hujusmodi perfectio revera in quo consistat?  
 Permissio an sit actus positivus, an mera negatio legis? 246. *seq.*  
 Philosophorum ethnicorum errores Fidei lumine caren-  
 tium. 11. 12.  
 Polygamia permessa Patriarchis in veteri testamento. 172.  
 Quid discriminis inter polygamiam, & polyandriam, seu po-  
 lyviriam? 178.  
 De Principio J. N. cognoscitivo aliorum Auctorum sen-  
 tentiæ. 235.  
 Principium socialitatis quibus argumentis probetur ab aliis  
 Auctoris? 197.  
 Principium socialitatis quibus rationibus a Grotio, & Puf-  
 ENDORFIO constituatur? 190. *seq.*  
 Principium cognoscitivum Juris naturalis, ad quod tanquam  
 ad finem reducantur J. N. præcepta, quodnam nostrâ sen-  
 tentiâ sit? 200. *seq.*  
 Principium cognoscendi legem naturalem quid sit? 183.  
 Principii cognoscitivi legis naturalis quænam sint attri-  
 buta? 184. *seq.*  
 Principium cognoscitivum Juris naturalis, ex quo nempe  
 eruantur Juris naturalis præcepta, quodnam nostrâ senten-  
 tiâ sit? 200. *seq.*  
 Prin-

Principium cognoscitivum ex Grotio, & Puffendorffio. 185. <i>seq.</i>	
Providentia in Deo an differat a lege æterna ?	57. 59.
Prudentii versus contra Symmachum pro immortalitate animæ ex absurdis.	15.
Puffendorffii error circa facilitatem discernendi æquum, ab iniquo.	82.
Error hic impugnatur.	84.
Puffendorffii de Libertate recta sententia.	32.
Puffendorffius impugnatur circa moralitatem actuum dependentem a voluntate Dei.	81. <i>seq.</i>
Puffendorffii opinio de Lege.	50.
Puffendorffii error circa honestatis convenientiam cum natura rationali.	95.
Puffendorffii sententia de lege naturali.	68.
Puffendorffii sententiæ circa modos moralitatis.	77.
Errat Puffendorffius requirens, ut <i>Præscientiæ</i> divinæ vocabulum <i>depuretur</i> , ne lædat libertatem humanam.	34.
Puffendorffii error circa immortalitatem animæ.	14.
Puffendorffius ab aliquibus laudatur, ab aliis improbatum quàm maximè.	7. 8.
Puffendorffiani operis italica versio a viro Catholico malè repurgata.	10.
In Puffendorffio italicè traducto, ac rectificato errores non correcti.	10.
Puffendorffius negat, legem naturalem ad actus internos se extendere.	145.

## R

<b>R</b> ationis rectum dictamen an differat a lege naturaliæ ?	65.
Ratio naturalis sejuncta a Fide infirma est, & erroribus obnoxia.	12.
Ratio sufficiens leibnitziana libertatem destruit.	38.
Ruf-	

Ruffous quid sentiat de natura legis.

54.

S

**S**chwarzius malè ait, non posse intelligi, quid sit actus  
inhonestus. 94. *seq.*

Schierschmidius Jo. Justinus Wolfium explicat, ac nos. 126.

Senecæ sententia de Viro honesto. 89.

Senecæ sententia de recta ratione. 92.

Ejusdem sententia de bono honesto. 93.

Senecæ de cura Corporis sententiæ. 117. *seq.*

Senecæ judicio laudabile est mori pro virtute. 127.

Socialitas ex Grotio, & Puffendorffio quid sit? Et quomodo  
fit Principium cognoscitivum Juris naturalis. 185. *seq.*

Solicitudo an Felicitatem turbet, & quænam? 227. *seq.*

Spinozæ de honestate objectiva principia. 103.

T

**T**homæ sententia de honestate objectiva. 97. *seq.*  
100. *seq.*

Tullii sententia de lege naturæ. 73.

Tullii sententia de lege rectitudinis norma. 50.

Tullii de bono honesto sententiæ. 107. *seq.* 124.

Tullii sententia de honestate actuum intrinseca. 75.

V

**V**olfius peccat in explicanda legis natura. 54.

Wolfii de Honestatis Principio Systema fusè exponi-  
tur. 112.

Wol-

Wolfii de honestate , ac lege naturali sententiæ impugnan- tur .	117. <i>seq.</i>
Wolfii sententia de libertate .	36.
Voltairii absurda ratiocinatio circa animæ libertatem .	31.
Voltairii assertio de Rationis , ac Fidei objectis .	12.



















